ſet, Num quid rerum ſuarum expeteret? reſpondit? Solùm, ò rex, ne arcanorum tuorum quidquam mihi credas.

Epaminondas, audiendi potiùs, quàm loquendi cupidum eſſe hominem debere putabat: Quod ſciret; ex audiendo doctrinam, ex loquacitate autem pœnitentiam naſci. De eo etiam dictum, Neminem unquam viſum eſſe, qui plura ſciret, & pauciora loqueretur. *Plut.*

Hieron. arcana enuntiantes injuriam facere dicebat eis etiam, quibus enuntiarent. Odimus enim non ſolùm eos, qui effutierint, verùm eos etiam, qui, quæ nolumus, audierint. *Max. ſer.* 20.

Cæcilius Metellus, cùm in bello omnia proprio, & ſubito conſilio ageret, amico cuidam interroganti quidnam jam acturus eſſet, poſt Abrachos in Macedonia ſubactos? Tunicam, inquit, meam exuerem, ſi eam conſilium meum ſcire exiſtimarem. Quo dicto docuit: non temerè animi noſtri propoſitum effutiendum eſſe omnibus, ſed ſilentium ad ſuum uſque tempus, *Plin. c. 61. de viris illuſtr. Plut. in apoph. Rom. Frontil. & c. 1.*

Cùm Catoni, qui poſt dictus eſt Uticenſis, etiamnum puero vitio daretur taciturnitas (nec enim cum pueris exercebatur, nec à quoquam audiri volebat) ait: Carpant taciturnitatem, modo vitam probent. Et addidit. Tum demum abrumpam hoc meum ſilentium, cùm ea loqui potero, quæ ſunt indigna ſilentio: *Plut. & Bruſ. lib. 9. c. 6.*

Tiberius, Cùm aliquando percontaretur, cur ſua conſilia non cum aliorum quoque, qui ei non malè vellent, conſiliis communicaret? reſpondit: Principis animum aut nemini, aut paucis cognitum eſſe oportere. Senſit autem, non omnia credenda iis, qui ſe amicos eſſe venditent: quibus cùm aliquid ſecreti commiſeris, temerè rimarum pleni effutiunt: non cogitantes, principes loquaculorum garrulitate ſæpenumero aut periclitari, aut prodi prorſus. *Dion.*

Græcorum Comicorum hæ de ſilentio gnomæ circumferuntur.

Οὐδὲν σιωπῆς ἐστι χρησιμώτερον.
Vtilior haud eſt ulla res ſilentio.
Σιγῶντ᾽ ἐστιν αἱρετωτέρα λόγου.
Ἐνίοις τὸ σιγᾶν ἐστι κρεῖττον τοῦ λόγου.
Aliquando verbis melius eſt ſilentium.
Κρεῖττον σιωπᾶν, ἢ λαλεῖν, ἃ μὴ πρέπει.
Καὶ δεῖ σιωπᾶν καὶ λαλεῖν, ὅ που χρεών.
Satius tacere, quàm loqui quæ non decent.
Et in loco tacere, & in loco loqui.
Ἢ λέγε τι σιγῆς κρεῖττον, ἢ σιγὴν ἔχε,
Sile, vel meliora loquere ſilentio.
Πολλοῖς ἀπόκρισις ἡ σιωπὴ τυγχάνει.
Plerique reſponſi vice eſt ſilentium.
Εὖ καταφρόνητον ἐπὶ σιγηρὸς τρόπος.
Taciturnitas eſt plurimis contemptui.
Ἡ γλῶσσα πολλῶν ἐστιν αἰτία κακῶν.
Pleriſque dat lingua malis originem.
Ἡ γλῶσσα πολλοὺς ὡς ὄλεθρον ἤγαγεν.
Ploroſque lingua funditus peſſumdedit.

☞ *Vide Locum de Taciturnitate. Item in Loco de Religioſis Tit. de Religioſo ſilentio.*

Simiæ.

☞ *Vide Loca materialiter conſiderata.*

Divinatio. Venatio. Exercitatio. ☞ *Vide in Locis propriis.*

Similitudo.

Definitio, et Etymologia.

Similitudo, Græcè, ὁμοιότης, & ὅμοιος, ſimilis dicitur. Eſt autem ſimilitudo relatio æquiparantiæ: non tamen ſemper denominat utrumque extremorum, ſed tantùm quando forma eſt æqualiter, & eadem ratione in utroque extremorum, *ex B. Thom. 1. part. q. 4. art. 3.*

Ovid. 2. de Pont. 5.

Scilicet ingeniis aliqua eſt corcordia junctis.
Et ſervat ſtudii fœdera quiſque ſui.
Ruſticus agricolam, miles fera bella gerentem,
Rectorum dubiæ navita puppis amat.

* Apophthegmata.

Proconſul Quidam Romanus in Sicilia, conſpicatus quendam adoleſcentem, admodum ſui ſimilem, rogavit ſimilitudinis cauſam, num pater ſuus nunquam adiiſſet Siciliam? At meus, inquit, Romam frequenter acceſſit. Locum retorſit Siculus, nihil veritus ſecures, ac virgas proconſulis. *Bruſ. l. 9.*

Augusto Cæſari perquam ſimilis Romam venerat, & ita ſimilis; ut omnium ora in ſe converteret. Produci ergo Cæſar hominem juſſit, viſumque interrogat: Dic (ait) adoleſcens, fuitne aliquando mater tua Romæ? Excepit Adoleſcens, & hunc in modum Auguſto reſpondit: Mater mea nunquam fuit Romæ, ſed pater perſæpè. *Macrob. Plut. in Rom. apoph. Eraſ. l. 4. apoph.*

Personæ ejusdem similitudo. Tempore vel eodem.

A victoria Judæorum adversùs Aman auxilio Heſteris, uſque ad victoriam adversùs Antiochum, anni ſunt cccxliii. & utraque victoria obtigit 3. Idus Mart. qui Hebræis Adar dicebatur, ex quo Hebræi hunc diem magno habent in honore.

Hieroſolyma ab Herode rege capta eſt, M. Agrippa & Canidio Gallo coſſ. clxxxv. Olympiade, menſe tertio, feriis, quibus ſolemne fit jejunium: tanquam recurrente in idem temporis momentum illata Judæis à Cn. Pompejo calamitate: nam & ab illo eadem diem urbs capta fuerat ante annos viginti ſeptem. *Joſephus l. 14. c. ult. Antiq.*

Ejuſdem anni eodem die Græci Mardonium cum trecentis Perſarum millibus ad Platæas, & ad Mycalen Tigranem, cùm 60. milibus ſuperarunt, utraque etiam pugna ad Cereris templa commiſſa eſt: illa manè, hæc veſperi. *Herod. l. 9.*

Patavium à Maximiliano Imp. occupatum, receptum eſt à Venetis eo ipſo die, quo primò de Carrarienſibus captum fuerat, anno ab Urbe condita 982. cùm binos, & quadragenos dies in Maximiliani partibus fuit. *Bembus l. 8. Ven. Hiſtor.*

Carolus V. Imp. ferream coronam, unctionemque ſacram Bononiæ à Clemente VII. ſuſcepit, anno 1530. octavo Calendas Martii: pauloque poſt, videlicet ſexto ante eaſdem Calendas die, qui dies Cæſareæ majeſtati natalis erat, auream itidem coronam accepit, ut Longobardorum Rex, Romanorumque Imp. haberetur ab omnibus, qui jam tum ante decennium, vel circiter fuerat Aquiſgrani in Germanorum regem coronatus. *Surius in Comment.*

Diverso.

Arabia terra peſtilens humanis gentibus. Qua occupata Cham olim Noe F. malorum dæmonum cultum in orbem univerſum propagavit. Mahometus longo poſt temporum intervallo peſtiferum ſuum dogma ex hac tanquam arce ſpargere cœpit. *Sab. l. 6. Enn. 8.*

Fuit Trojæ equus ſemper exitialis. Ob Laomedontis equos primùm urbs capta eſt ab Hercule, & exciſa, deinde lignea effigie, pari eventu, venit in hoſtium poteſtatem; poſtremò Charidemi ductu, cùm equus ferro confoſſus concidiſſet, fuit jacens Ilienſibus, quò minus fores irruentibus obiicerent hoſtibus, impedimento. *Sab. l. 9. c. 4. ex Plut. Sertor.*

Cantarri ultimi Hiſpanarum gentium domiti à Romanis, ultimi à Gothis ſubacti: iidem cætera Hiſpania amiſſa, Sarracenis ſoli omnium reſtitere: dubium caſu, an conſtantia gentis, & indomita vi, quæ aut vincere norit, aut cadere. *Sabell. l. 9. c. 4.*

Infeſta fuerunt Carthagini duorum Scipionum nomina: quorum is Punicas fregit opes, ille funditus evertit: reddidit hic Carthaginem tributariam, ille ſolo æquavit. *Sab. l. 9. c. 4.*

Bis Roma à Totila Gothorum rege obſeſſa eſt, bis fame fatigata, bis ab Iſauricis militibus noctu prodita. *Ful. l. 1. c. 6.*

Dissimilitudo personæ ejusdem. Tempore vel eodem, ejusdem personæ

Vita. Mors.

☞ *Huc refer exempla eorum, qui Natali die ſuo periere.*

Dignitas, Mors.

M. Ant. Triviſanus, quo die Venetorum dux creatus fuit, eo poſt annum defunctus eſt. *Sab. ſupplem. l. 29.*

Victoria, Clades.

☞ *Huc ii, qui eodem tempore Victi rurſum vicere.*

Athenarum mœnia ſolo exæquavit Lysander anno ſeptimo, ac ſeptuageſimo poſt victoriam Græcorum Salaminiam. Addit Plutarchus in Lyſandro, utrumque cotigiſſe ſexta die menſis Munychionis.

Sunt initia belli Judaici, quo die, & hora ſeditioſi Judæi Hieroſolymis Romanum prætidium contra datam fidem interfecerunt, eadem Cæſarienſis Judæos omnes inquilinos ſuos ad internecionem ſupra xx. millia cæciderunt. *Joſephus l. 2. c. 19. Belli Jud.*

Accidit memorabili caſu, ut eadem hora, qua Florentini Mediceos

Mediceos patria, domoque pellebant, ipſi quoque à Piſanis pari aſſerendæ libertatis deſiderio pellerentur. *Jovius lib. 1. Hiſtor.*

Diversio. Ejusdem personæ diverso tempore.

Probitas, Improbitas.

☞ *Vide Tit. Mores in melius, vel deterius mutati.*

Felicitas, Infelicitas.

☞ *Ex Tit. Felicitatis inconſtantia, transferantur exempla.*

Athenæ à Xerxes Perſarum Rege, inde à Mardonio incenſæ à Themiſtocle reſtauratæ. Bello Peloponneſiaco à Lyſandro Lacedæmonio denuò muri dejecti. Tandem Conon Athenienſis, cùm gratia valeret apud Perſarum regem, & ad revocandum ex Aſia Ageſilaum Græci Lacedæmoniis bellum intuliſſent, Perſico auro corrupti, patriam reſtituit. Fuit igitur illud fortunæ ludibrium memorabile, ut eadem urbs, quæ olim Perſarum manu deflagraſſet, captivis ejuſdem gentis manibus fuerit reſtituta, & mox à Lacedæmoniis exciſa, Laconicis ſpoliis reſarta, veterem recepit formam, & apparatum. *Sab. lib. 2. Enn. 4.*

Himilco Carthaginenſis Gelam Siciliæ urbem obſidebat. Stabat tum haud procul extra Gelæ mœnia ſtatua Apollinis ærea miræ magnitudinis, quam inter ſpolia raptam Carthaginenſes Tyrum miſere. Hæc à Gelois olim ipſius Dei oraculo juſſis extructa, dedicataque eo loco fuerat. Tyrii verò, quo tempore ab Alexandro Macedone obſidebantur, eam contumelia affecerunt, utpotè, quæ pro hoſtibus contra ſe dimicare videretur. Capta urbe ab Alexandro, veluti Timæus tradit, ſimili, & ejuſdem nominis die, & hora, qua quondam Carthaginenſes Apollinem Gelois raptum abſtulerant, eidem ſimulacro per Græcos ſolemni admodum litatum ſacro, maximiſque muneribus, & multo thure gratificatum, perinde ac victoriæ, & urbis obtinendæ præcipuo auctori. *Diod. l. 19.*

Leontius præfectus militum ſeditione in populo concitata, Juſtinianum Imperatorem omnia alia metuentem comprehendit, ac, mutilato ad contumeliam naſo, propè exanguem Cherſonem in Pontum relegavit, & Imperium Callinico patriarcha probante invaſit. Triennio pòſt patrati ſceleris pœnas dedit. Nam per tumultum à Tiberio Abſimaro captus, & pariter naſo mulctatus, in carcerem eſt conjectus. Imperium idem Tiberius tenuit. *Sig. lib. 2. reg. Ital.*

Servitus. Libertas.

☞ *Vide Tit. Victi, victores.*

Heraclius cæſar de Perſis, Coſroeque Crucem recuperaverat. At Heraclio Patriarcha Hieroſolymis à Saladino captis rurſus amiſſa eſt, Urbano II. Pontifice maximo ſancta urbs recepta: Urbano III. recidit in ſervitutem. *Æm. lib. 3.*

Imperium, Subjectio.

☞ *Vide Titulum Subjectionis.*

Amor, Odium.

☞ *Conſule Tit. Ex Inimicis amici: vel è contrà.*

Gloria, Dedecus.

☞ *Huc. Tit. Obſcuro orti loco, qui clari evaſere.*

Diversorum similitudo inter se.

Nullus eſt ferè titulus; in quo non ſimiles caſus vel Habituum, vel Actionum, & Paſſionum ſeſe offerant. Extat Plut. nomine Libellus de Græcorum, & Rom. comparatione: cujus nos exempla ſigillatim ad ſuos quæque locos retulimus. Pauca hìc exempli cauſa ſuffecerint.

Respectu personarum similium similes inter se Respublicæ.

Uti Romanam urbem Galli Senones, ita Venetam Pipinus Caroli Magni Imp. & Regis Gallorum F. ſub ipſa ferè initia oppugnarunt. *Sab. lib. 2. Dec. 1.* longiorem comparationem inſtituit, quæ eò eſt illuſtrior, quòd utriuſque urbis primordia à Trojanis deducuntur, Romæ ab Ænea, Venetiarum ab Antenore. Quod Romanis ab initio Hernici, Equi, & Volſci fuerunt, hoc Venetis Dalmatæ, Liburni, & Hiſtri, Graviſſimus illis Gallicus hoſtis, quibus omnia præter Capitolium ademit, nec his quidem omninò levis, quibus præter Rivumaltum nihil reliquum fecit. Formidabiles Latio Cimbri, Teutones, & Ambrones: Gothi, Longobardi, & Hunni Hadriæ non contemptibiles. Infeſta Latino nomini Carthago: infeſta & Veneto Genua. Verùm tum valdè ferox illa, cùm Philippum regem Macedoniæ ſocium, & Syracuſanos nacta eſt: hæc quoque nunquam ferocior, quàm cum Ludovico rege Pannoniæ & Patavinis Claudiaco bello eſt uſa. Hoſtis Pyrrhus Romano, at Pœno mitior: nec Pipus Sigiſmundi Pannonii regis ductor Veneto amicus, ſed Ligure longè placabilior. Diutiſſimè ab illis cum Mithridate bellatum: nec ab his cum Philippo Vicecomite brevi tempore, Magnus Antiochus, Othomannus verò major. Verùm ſociale bellum illi, ac longè graviſſimum in Italia geſſere, at Veneti, ne non per omnia eorum æmuli crederentur, & ipſi in Ciſalpina Gallia omnes Italiæ opes non ſolùm ſuſtinuere, ſed utrorum eventus facilè declaravit, fregerunt etiam. *Sab. lib. 1. Dec. 2. & 4.*

Reges, Imperatores.

Antoninus Pius Imp. eloquentiæ fuit ſingularis, nitidæ literaturæ, ſobrius, mitis, largus, alieni abſtinens, omniaque cum menſura, ac ſine jactantia faciens: ut Numæ Pompilio honorum ſententia compararetur: utpotè, qui eandem felicitatem, pietatem, ſecuritatem, ceremoniaſque ſemper obtinuit. *Cuſp. & Suidas.*

L. Verus Imp. retulit, cùm aliis vitiis Neronem, tum nocturna evagatione in cives graſſabundus, quo contigit, ut ſæpè, quemadmodum Nero à validioribus afflictus, contuſa facie ſit domum reverſus. *Sab. lib. 5. Enn. 7.*

Otthocarus, & Joannes Boemorum reges, uterque gloriæ bellicæ avidus, periculorum contemptor, prodigus, ſucceſſu felix, in prælio uterque cæſus eodem die, D. Ruffo ſacra 26. Auguſti, ille quidem a Rodolpho I. Cæſare ad Lavam Moraviæ oppidum an. 1278. hic ab Edovardo Anglorum rege ad Creſſiacum an. 1346. *Dubr. lib. 17. & 21.*

Duo monſtroſa ſub Othone Magno acciderunt, & eadem ſub Maximiliano I. viſa ſunt. Primum, quòd miræ magnitudinis lapis tonitru è cœlo jactus, miraculum ingens hominibus dedit. Alterum, quòd notulæ crucis in veſtibus plurimorum apparuere, quaſi lepra ſordeſcentibus. Sub Maximiliano itidem ingens lapis ſpecies, ac formæ Græcæ literæ D. anno mccccxcii. in Enſisheym decidit oppido Alſatiæ, qui hodiè in æde ſacra cuſtoditur, à Sebaſtiano Ticione etiam carmine celebratus. Fuerunt item in pleriſque Germaniæ regionibus veſtes crucis ſigno notatæ, quæ magnum hominibus terrorem incuſſerunt, an. mdiii. *Cuſp.*

Mahometes II. Turcarum rex, proſperrima fortunæ aura uſus eſt, animoque, ac ingenio, non gloriæ cupiditate Magno Alexandro perſimilis extitit. *Jovius in ejus vita.*

Augusti Imp. inter omnes Rom. Cæſares Fridericus III. imperii diuturnitate æmulus videri poteſt. Sic *Cuſp.*

Auguſto propior Fridericus Tertius orbem
Quinquaginta annis rexerat, atque tribus.
Sed tribus hic vita Auguſtum ſuperaverat: ævo.
Longior hic, ille eſt ditior imperio.

Reginæ.

Jezabel regina Iſraelitarum, Achab uxor, juſſu Jehu, qui regnum invaſerat, equæ indomitæ caudæ alligata, miſerèque lacerata eſt. 4. *Reg. cap. 9.* Viciſſim Brunechilda, Metenſium regina, equi indomiti caudæ alligata, & diſcerpta eſt, ob inaudita ſcelera, & decem reges extinctos. *Regin. lib. 1. Sig. Guagninus lib. 2.*

Duces bello clari.

Alcibiades apud Athenienſes, & C. Martius Coriolanus apud Rom. hoc commune habuere, quòd quando præſentes fuerunt, & exercitui præfuerunt, reſp. ſuas manifeſtè rexerint: & contrà manifeſtiùs depreſſerint, cùm deſciviſſent. *Plut. in comparat. eorum.*

Lysandro Lacedæmonio L. Corn. Syllam conferens Plutarchus, colligit eandem, plura præclarè facta Syllæ eſſe, Lyſandri peccata pauciora: atque huic abſtinentiæ, & temperantiæ, artium illi bellicarum, & virtutis primatum tribuit.

Eumeni Cardiano, & C. Sertorio Romano commune hoc, quòd peregrini, & alienigenæ, & exules, gentium variarum, & fortium legionum, magnorumque exercituum fuerint ductores, ille quidem regni cupidus cum Antigono certans, hic verò ſalutem ſuam contra vim Romanorum in Hiſpania defendens. Ambo inſignes fuerunt imperatores, & aſtuti bellatores, extra patriam peregrinantes, alienigenarum ductores, fortuna conflati aſpera, ad exitum & noverca. Siquidem circumventus uterque Inſidiis, atque quibuſcum hoſtes vicerat, ab iiſdem eſt oppreſſus. *Plutarchus in Eumen. proœmio.*

Timo-

Timoleon Corinthius, & L. Paulus Æmilius bella uterque
A adverſùs claros adverſarios habuere, hic Macedonas, ille Carthaginenſes, fueruntque eorum inclytæ victoriæ. Hic Macedoniam ſubegit, & Antigoni ſucceſſionem ſuſtulit in ſeptimo rege: ille omnes tyrannos Sicilia exterminavit, inſulamque aſſeruit in libertatem. *Plut. in eorum comparat.*

Annibalem Pœnum, & P. Corn. Scipionem Africanum ſatis cõnſtat ambos fuiſſe ſummos, præſtantiſſimoſque belli duces, ac non modò ætatis ſuæ, qua nulla bellaciſſimorum virorum ferocior fuit, ſed etiam ſuperiorum temporum cuilibet regum, imperatorumve pares. Id autem mirari libet, cùm potentiſſimos adverſarios domi haberent, qui omnia ſua conſilia oppugnare nitebantur, tanta eos in externis bellis ſuſtinere, aut perficere potuiſſe. Nam ut cætera omittam, P. Scipio, adverſante Fabio Maximo, aliiſque principibus civitatis, quanta contentione perfecit, ut in Africam mitteretur ad gerendum ex propinquo Carthaginenſibus bellum? Annibal verò quem, aut qualem adverſarium habuit Hannonem principem factionis adverſæ? Ambo igitur multis domi, foriſque difficultatibus victis non felici quadam temeritate, ut pleriſque con-
B tigit, ſed arte, ingenio, conſilio, res omni memoria dignas geſſère. Ambo liberalibus artibus eruditi, ambo doctorum hominum amatores fuiſſe dicuntur. Ambo præterea apti in dicendo, Annibal etiam acutus in reſpondendo fuiſſe traditur. Denique hi duo celeberrimi duces non tam domeſticis virtutibus, quibus Scipio magnopere præſtitit, quàm bellicis artibus, & rerum geſtarum gloria, comparabiles eſſe videntur. Exitus quoque vitæ ſimilitudinem quandam præ ſe ferunt, quòd ambo extra patrium ſolum obierunt: quanquam Scipio non à republica damnatus, ut Annibal, ſed voluntario ſibi exilio indicto vitam extra urbem finiendam putavit. *Auctor vitæ utriuſque.*

Plutarchus Cimoni Athenienſi L. Lucullum Romanum opponit: ſiquidem fuerunt bellaces ambo, atque adverſùs barbaros inclyti: contra domi placidi, ac potiſſimùm ab diſcordiis inteſtinis patrias ſuas recrearunt. Adhæc erexit uterque trophæa, & victorias retulit inſignes. Neque enim, ſi ab Hercule, & Libero patre diſceſſeris, aut ſi quod Perſei contra Æthiopas, vel Medos, & Armenios, aut Jaſonis veritati factum conſonum ex vetuſtate tanta ad memoriam delatum noſtram
C ſit: ex Græcis Cimone, vel Lucullo ex Romanis, tam procul arma prior protulit ullus. Jam eſt hoc quoque iis commune, quod bellum mutilum reliquerint: atque fregerit quidem uterque, ſed neuter oppreſſerit hoſtem. Præcipuè verò benignitatem, & effuſionem in conviviis, & comitate hac, ſplendidamque, & prolixam menſam, ac vitam quotidianam aſpicere in utroque licet parem.

Imperatorum bellicoſiſſimi, quique plurima dolo, & calliditate perpetraverunt, altero lumine orbati fuere, Philippus, Antigonus, Annibal, & Q. Sertorius, quem Philippo dicas in amoribus fuiſſe continentiorem, Antigono firmiorem erga amicos, clementiorem erga hoſtes Annibale, nulli horum prudentia concedere, ſed omnibus fortuna: qua ſupra omnes illuſtres hoſtes ſuos uſus multò ubique acerbiſſima adæquavit illis ſe belli ſcientia cum Metelli uſu, audacia cum Pompeii fortuna, cum Syllæ potentia, cum populi Romani viribus exul, & barborum advena dux comparatus. *Plut. in Eumenis proœmio.* Noſtra etiam tempeſtate Federicus Urbinas, veteribus magis, quàm ſui temporis ducibus comparandus. *Sab.*
D *lib. 9. c. 4.* ☞ *Vide Tit. Duces bellicoſi.*

Attila Hunnorum rex eo die natus, quo C. Julius Cæſar, & Idibus Martiis (quibus ille in curia XXIII. vulneribus confoſſus) ex apoplexia mortuus. *Nic. Olaus c. 16. in ejus vita, & Sab. lib. 1. En. 8.*

Præfecti.

Plin. Junior in Epiſtolis, Cæcilius, inquit, Claſſicus, homo fœdus, & apertè malus, proconſulatum in ea parte non minus violenter, quàm ſordidè geſſerat, eodem anno, quo in Africa Marius Priſcus. Erat autem Priſcus ex Bœtica, ex Africa Claſſicus. Inde dictum Bœticorum (ut plerumque dolor etiam venuſtos facit) non illepidum ferèbatur: Dedi malum, & accepi. *Eraſ. in Adag.*

Oratores.

Cùm Demosthenem, & Ciceronem, hunc Latinæ, illum Græcæ facundiæ principes, eadem moneta conformaret ab initio Deus, multis modis naturam inſeruiſſe iis ſimilem videtur, ut ambitionem, libertatis in repub. amorem, timiditatem in periculis, & armis, immiſcuiſſe etiam fortuita multa. E
Haud enim duos reperiri oratores arbitror alios, qui ex obſcuris, & parvis potentes, & magni evaſerint, regibus, & tyrannis ſe objecerint, filias amiſerint, patriæ extorres redierint honorificè, iterùm profugerint, & in manus inciderint hoſtium, vitam præterea cum expirante depoſuerint patriæ libertate. Itaque ſi in certamen natura, & fortuna ſicut artifices deſcenderint, aut expeditum ſit, hæc negotiis, an moribus illa magis eos adæquaverit, dijudicare. *Plut. in eorum Vitis.* Pari ferè ætate illuſtres cauſas egerunt. Demoſthenes ſeptem, & viginti annos natus, contra Androtionem, & contra Timocratem orationem habuit. Cicero pro Sext. Roſcio, & anno minor pro P. Quintio. *Gel. lib. 15. c. 28.*

C. Mario, Cn. Carbone III. Coſſ. ad 5. Calendas Junias, M. Cæcilius Rufus, & C. Licinius Calvus eadem die geniti ſunt, oratores quidem ambo, ſed tamen diſpari eventu. *Plut. lib. 7. cap. 49.*

Philosophi.

Polystratus, & Hippoclides philoſophi, eodem die nati, ejuſdem præceptoris Epicuri ſectam ſecuti: patrimonii F
etiam poſſidendi, alendæque ſcholæ communione conjuncti, eodem momento temporis, ultima ſenectute extincti ſunt. Tam æqualem fortunæ pariter, atque amicitiæ ſocietatem; quis non ipſius cœleſtis Concordiæ ſinu genitam, nutritam, & finitam putet? *Val. Max. lib. 1. cap. 8.*

Gladiatores.

Bithus, & Bacchius, nobile par gladiatorum fuit: quorum mentionem Suetonius quoque fecit, pares arte, pares audacia. Proinde quoties duo æqualiter improbi contendunt inter ſeſe, ita ut neuter alteri velit concedere, non intempeſtiviter dicemus, Bacchium cum Bitho commiſſum. *Eraſm. in Adag.*

Eſernius, & Pacidianus erant gladiatores per omnia pares, longèque omnium nobiliſſimi. *Eraſ. in Adag.*

Filii, et Parentes.

Clearchus Lacedæmonius à Pericle pecunia corruptus, in Atticam abſtinuit irrumpere. Quamobrem in exilium ad Thu- G
rios Italiæ relegatus eſt. Gylippus patre non melior, cum navali auxilio in Siciliam ad Syracuſios defendendos miſſus, & Lyſandro Sparta remiſſus cum ſpoliis, & argenti mille, & quingentis talentis, ſacculis impoſitis, in quibus ſingulis ſcytala erat, qua quod cuique impoſitum pecuniæ fuiſſet, notabatur. Gylippus per iter ſacculis revinctis trecenta talenta ſubtraxit. Quo per Ephoros retecto, auſugit, capitiſque ob id commiſſum damnatus eſt. *Diod. lib. 13.*

Porcia Catonis Uticenſis F. patre nec caſtitate, nec fortitudine inferior, cùm Bruto nupta Cæſaris interfectori conjurationis illius eſſet conſcia, vitam, ut nobilitate, & virtute ejus erat dignum, profudit. *Plut. in Catone.*

Nero Cæſar filius fuit Domitii Ænobardi, ſceleſtiſſimi viri, & Agrippinæ Germanici filiæ, tam infelici genitura editus in lucem, ut pater Domitius ex ſe, atque Agrippina nihil quicquam niſi deteſtabile in perniciem reipub. poſſe naſci, apertè fateretur. *Cuſp.*

Fuit Constantinus Conſtantii Chlori Imp. filius, bonus à bono, pius à pio, in Britanniis obſcuriori matrimonio (ut H
Eutropius ait) natus, ex matre Helena, quam ſtabulariam Ambroſius in oratione funebri de obitu Theodoſii appellat: princeps commodiſſimus, & ſalutaris, qui nutrire bonas artes, ac ſtudia præcipuè literarum, legere præterea ipſe, ſcribere, & meditari ſolebat.

Ethelfredi Northumbrorum regis impii in acie cæſi ſeptem filii, ad Scotorum regem Eugenium IV. confugere, & ibi Chriſtianam religionem ſunt amplexi. Poſteaquam verò Eufredus, & Oſricus Eugenii interceſſione regno paterno ſunt reſtituti, ad ethniciſmum rediere. Eapropter à Penda Merciorum, & Cadovallone Britannorum regibus victi, captique, in carcere mutuis vulneribus concidere. Regnum Oſualdo eorum fratri regi ſancto datum. *H. Boetb. lib. 9.*

Duo admiranda in Maximiliani I. Imp. morte obſervanda: quòd, ut olim pater Fridericus Cæſar in ſumma pace obiit: & ejus mortem biennio maxima ſequuta eſt peſtilentia. Poſt Friderici obitum, 1490. peſtilitas nonageſimo quarto, & quinto multas civitates, & villas penè deſertas reliquit: poſt mortem verò Maximiliani, tam crudelis, tam ſæva, tam ſtupenda biennio pòſt orta eſt peſtis, ut frumenta in agris non

ſecta manerent, & à nemine colligerentur. Nulla arx, nullum
A caſtrum, nullum oppidum, villa, vicus intactus manſit. Tertia pas hominum in Auſtria ſublata putatur. *Cuſp.*

Jo. Fridericus dux Saxoniæ. Elector imperii à Carolo V. Imper. Mulbergæ acie, victus & captus eſt, XI. Aprilis A. D. MDXLVII. Filius major natu, ut nominis, ſic & infelicis ſucceſſus hæres, eadem die, poſt XX. anno captus in urbe Gotha, & Maximiliani II. Imper. juſſu, quod Guilielmum Grumbacum exulem proſcriptum ſuſcepiſſet: Dreſdam captivus abductus, eventus paterni ſimilitudinem primus animadvertiſſe fertur.

Gramus Danorum rex rapta Sichtrugi Sueonum regis filia Grò, ſocerum in acie clava aurea occidit, & regno Sveciæ potitus eſt. Multo poſt Suibdagerus Norvegiæ rex Grami filiam fruſtra ambiens rapuit, & ſocerum injuriam perſequentem acie oppreſſit. *Crantzius lib. 1. Sueciæ, c. 12.*

Fratres.

Lysides & Pitheus, fratres, ex hujus filia, quæ Æthra fuit, Theſeus orthus, ex Alcmena, quæ ex illo genita eſt, Hercules, duo Graciæ lumina.

B Pari eventu Peleus, & Telamon, Ajacis filii, omnium, qui ad Trojam militarunt, fortiſſimos genuerunt: hic Achillem, ille Ajacem. *Sab. l. 9. c. 4.*

Atelles, Mæon, & Deus, fratres Cumani. Deus obæratus in Aſcram Bœotiæ vicum commigravit, & ibi ex Pycimede Heſiodum poetam ſuſtulit: Atelles verò in patriam Cuma mortuus filiam Critheida reliquit, & Mæoni fratri commiſit. Mæon puellam ſtupravit. Ex eo poſteà inceſtu natus eſt Homerus, ad Meletem fluvium, cùm puellam Mæon ſceleri tegendi gratia Smyrnæ Phemio ludimagiſtro elocaſſet. Sic ex duobus fratribus duo poetices lumina prodierunt. *Plut. in Homeri vita. ex Ephoro Cumano.*

Theagenis Thebaci, qui Epaminondam, & Pelopidam pari animo, ſed ſucceſſu diſpare imitatus, ad Chæroneam occubuit, ſororem habuit Timocliam, animi fortitudine verè germanam, pudicitiæ, à Macedoniæ alæ præfecto violatæ, vindicta ingenioſa nobilem. *Plut. de Virt. mul.*

Medardus, ac Gerardus Galli fratres gemini, non ſolùm eodem nati die, verùm etiam eodem ad Epiſcopatus honorem, ad Rhotomagenſem alter, alter ad Noviodunenſem Eccleſiam evecti. Et, ne qui ad paritatem deeſſet, mortui etiam eo-
C dem die: animis etiam ita concordes, ut nequaquam eis eſſent philoſophi Hipoclides, & Polyſtratus anteferendi. *Fulg. lib. 1. cap. 6.*

Vittellotius à Valentino duce Cæſare Borgia, Senogalliæ ſtrangulatus, familiæ ſuæ exitium vitare non potuit, ut videlicet violenta morte periret: quemadmodum omnes reliqui ejus fratres, cùm in re militari jam magnum, & uſum, & nomen ſibi comparaſſent, alius poſt alium, ætatis ordine: Joannes tormenti globo in caſtris Innocentii Pontificis Auximum miſſis: Camilitus dum Gallis militaret, lapide circa Circelas ictus: & Paulus Florentiæ ſecuri percuſſus, interierant. *Guic. lib. 5.*

Horucius & Hariadenus fratres piratæ, bellica laude ſimiles. *Jovius lib. 33. Hiſt.*

Gentiles.

Omnes ferè ex gente, & Æacidarum nomine, divinitus oblata nece occubuerunt. Achilles enim, ut Homerus memoriæ
D prodidit, ab Alexandro Priami filio, & Apolline interfectus eſt. Pyrrhus ejus filius, oraculi juſſu, à Delphis occiſus eſt. Pyrrhus Æacidæ filius ab Achille XVI. cùm Argos infeſtis armis intraſſet, à Cerere, ſub habitu matronæ, tegula deſuperictus occubuit. *Pauſ. in Att.*

Æschylus tragicus Athenienſis, novæque Tragœdiæ inventor, filios habuit Euphorionem, & Bionem, itidem tragicos: præterea nepotem ex fratre, vel ſorore Philoclem tragicum, cujus filii duo Morſimus, & Philippides; Morſimi filius Aſtydamas, qui filium habuit Aſtydamantem: omnes tragici. Ut mirum ſit, in eadem familia octo illuſtres extitiſſe tragicos poetas. *Gyral. Dial. 6. Hiſt. poet.*

Una familia Curionum Romæ, in qua tres continua ſerie oratores extiterunt: Una Fabiorum, in qua tres continui principes ſenatus, M. Fabius Ambuſtus, Fabius Rutilianus filius, Q. Fabius Gurges nepos. *Plin. l. 7. c. 41.*

In Lepidorum familia tres qnamvis intermiſſo ordine, obducto membrana oculo geniti ſunt. *Plin. l. 7. c. 12.*

Sciplones duo, prior Carthaginem tributariam fecit, poſterior excidit. *Plut. in Sertorio.* E

Cn. Pompejus poſt Syllæ dictatoris interitum, orta inter Lepidum, & Catulum Coſſ. diſcordia, optimatum partes ſecutus, Brutum, qui Marci Bruti fuit pater, Mutinæ, quam ille cum Lepido occuparat, aliquandiù obſedit, atque in poteſtatem redactum interemit, & quod memorabile ſanè videri poteſt, haud multis inde interjectis annis, D. Brutus ab Antonio Triumviro, eodem in loco obſidione fatigatus, haud multo poſt periit, cum fortè fugam inde molitus eſſet. *Sabell. lib. 4. Enn. 6.*

Senecæ ex Annæorum familia Cordubenſi illuſtriſſ. quæ etiamnum hodie floret. Tres in primis ex ea fratres prodierunt, doctrina, & moribus clari, Annæus Seneca, Annæus Gallio, Annæus Mela. Inde Seneca tragicus, Mela Pomponius, Lucanus, & aliis. *Giraldus Dial. 8. Hiſt. poet.*

Petrus de Ubaldis Medicus Peruſinus, tres filios habuit Jureconſultorum maximos. Qui deinde, & ipſi nepotes patri, & pronepotes Juriſconſultos dedere.

Sancta Sophia nobilis familia Patavii habuit continuata ſerie ſeptem philoſophos, ſimulque illuſtres medicos: ut quaſi prodigii loco haberi poſſit gentis hujus cognomen: F
quando ſicuti Sophiæ nomine decoratur, ſic etiam reipſa in ea tamdiù perfuſus Sophiæ ſplendor illuxerit. Primus in ea floruit Nicolaus de S. Sophia: anno 1350. mortuus: cum filiis duobus Marſilio, medicinæ, poſt Petrum Aponenſem illuſtratore ſummo, qui Bononiæ obiit, anno 1404. & Joanne Fratre. Quartus Bartholomæus Joannis F. Deinde Galeatius, & Gulielmus. Tandem Bartholomæus, an. 1515. *Bern. Scardeanus lib. 2. hiſt. Patavinæ.*

Respectu rerum, in quibus ſimiles ſunt. Puta Similes In Pluribus. Nempe *Nomine, & Re.*

Variæ ſunt urbes Lariſſæ dictæ, ſed peculiare quiddam Lariſſæis, Cayſtrinis, & Phriconenſibus contigit, & iis, qui ſunt in Theſſalia. Omnes enim regionem à fluminibus dilutam habuere, illi à Cayſtro, hi ab Hermo, tertii à Peneo. *Strabo. lib. 14.*

Fuerunt in Laconia Amyclæ, atque aliæ inter Gajetam, & Terracinam ſitæ: illas Auſonius ſilentio periiſſe, has Servius G
à ſerpentibus deletas crediderunt. *Solinus, & Plin.*

Tulit non unus Actæonis nomen, ſed infeliciter, & laniatui obnoxium. Duo apri occurſu perempti, Syrus unus, alter in Arcadia: tertius in Bœotia à canibus diſcerptus: amatorius furor ultimum laniavit. *Plut. in Sertorio.*

Duo Atties illuſtres fuerunt, alter Syrus, alter Arcas: uterque ab apro eſt interfectus. *Idem.*

Duæ urbes à ſuaviſſimis plantis viola, & myrrha nomen habentes Jos, & Smyrna: altera natales, altera mortem Homeri ſibi vindicat. *Idem.*

Cœli providentia, non hominum conſilio accidit, quod in Judæa duo, qui Magni cognomen habuere, Alexander Macedo, & mox Cn. Pompejus, Hebraicæ religionis cultum non modò non aſpernati ſunt, ſed inoffenſum etiam ob omni injuria præſtiterunt. Hìc Hieroſolymis captis à direptione templi militem prohibuit: ille ſummum ſacerdotem ſibi obviàm venientem venerabundus excepit, ac velut numen quoddam adoravit. *Sab. lib. 4. c. 2.*

Obſervatum, notatumque eſt, in primis Cæſares omnes, qui- H
bus Caii prænomen fuit, ferro periiſſe, jam inde ab eo, qui Cinnanis temporibus ſit occiſus. *Suet.*

Fuerunt duæ Juliæ mater, & filia, hæc Auguſto genita, altera Marco Agrippæ, ambæ adulterii damnatæ. Duæ Agrippinæ, mater Caligulam, filia Neronem genuit, teterrimas humani generis peſtes. Duæ Fauſtinæ, major impudica, ſed quæ ex ea genita eſt, impudiciſſima. Pari infamia notatæ duæ illuſtres feminæ, quibus Joanna fuit nomen Reginæ Neapolitanæ, nec tantùm infamia reſperſæ, ſed infauſto quoque matrimonio celebres. *Sab. lib. 1. En. 10.*

Fuerunt tres clari in Judæa Hærodes, non magis inter ſe ſimiles nomine quam, & humanæ ſalutis interpolandæ ſtudio, quorum is innocentium cruore, crudele ſolium reſperſit: filius Chriſtum regem pro deſpicato à ſe dimiſit: nepos Barionam vinxit, Jacobum interfecit. *Sab. l. 9. c. 4.*

Apud Anglos videtur Glocestrense nomen, honoris cauſa Comitibus, Ducibuſque datum, fatale fuiſſe ad eorum perniciem,

perniciem, quibus illud fuerit. Nam Hugo Spenſerius, & Thomas Vodeſtocus Edovardi III. regis filius, ille Comes, hic Dux Glocestriæ, miſerabili ſupplicio vitam amiſerunt: Humfredus Dux Gloceſtrenſis, Henrici VI. adoleſcentiæ rector, ab ejus uxore Margarita ſtrangulatus eſt. Ricardus III. rex, Gloceſtriæ Dux, civili bello trucidatus eſt, ita ut nomen illud perinde in proverbium calamitoſis hominibus verti poſſit, ac olim Equus Sejanus. *Polyd. lib. 23. hiſt. Angl.*

OMINOSUM Mulbergi viris Principibus nomen eſt. Ad Mulbergum in Bavaria, Ducem Auſtriæ Fridericum cepit Ludovicus I. Imp. Ad Mulbergum ſupra Nemetes, Bernardum Marchionem Badenſem Rupertus. Ad Mulbergum Saxoniæ, Joannem Fridericum Electorem Carolus V. *Georg. Fabric. in Elect. Saxon.* Nec multum Turingiæ Mulbergum à Gotha diſtat: ubi ſuperioribus annis Joan. Fridericus Dux Saxoniæ, Maximiliani II. decreto obſeſſus, & captus fuit.

Moribus, Studiis, Fortunis.

SAMSON Iſraelitarum judex, & Hercules Thebanus eadem ferè ætate floruere, ut Hieronymo placet. Euſebius Samſonem aliquanto juniorem fecit. Uterque ferè à leonis interitu ſuam eſt gloriam auſpicatus, uterque invictus adverſus plures reſtitit: nam hic, quàm ille, mulieris opera periit: unius fraude, alterius ſtultitia: uterque ultrò mortem oppetiit: Samſon orbitatis, Hercules doloris impatientia. *Sabellicus lib. 6. En. 1.*

BISSENI fuerunt Jacob Patriarchæ Filii, totidem & Chriſti Diſcipuli, & in his unus Judas nomine: unus, qui tricenis ſit nũmis venditus, tricenis & Chriſtus. Fuitque ille ſub terra, vivuſque inde receptus eſt, fuit & hic, qui propria virtute ſurrexit. Viderunt illum fratres ſublimi ſolio ſedentem, viderunt hunc diſcipuli cælum ſcandentem: ſpectabunt poſtmodum omnes gentes, cùm ad dextram ſummi ſedebit Patris, humanum genus judicaturus. *Sab. lib. 9. cap. 4.*

Pares magnoperè inter ſe fuerunt antiquitus duo clariſſimi viri in beneficiis publicè dandis, animiſque totius ejus gentis, quam ſublevarunt, ſibi devinciendis, Oedipus, & Theſeus. Ambo enim liberarunt nobilem ſuum populum ſævo, & atroci quodam vectigali, quod victi gravibus malis pendebant, alter eorum Thebanum, alter verò Athenienſem: quare ipſorum facta meritò celebrantur à duobus claris poetis, Sophocle, atque Catullo. Oedipus enim conſilio, & ſolertia uſus eſt, & cùm obſcuram illam vocem Sphingis, quam nemo unquam anteà explicare potuerat, aperuiſſet, frenavit ejus monſtri audaciam: effecitque, ne ampliùs illa in Thebanum populum graſſaretur, aſſiduèque ipſum abſumeret. Theſeus verò fortitudine animi, & præſentia uſus eſt in frangendo diſſipandoque tributo, quod Minos impoſuerat Athenienſibus, & cum monſtro cominus pugnavit. *Vict. lib. 30. Var. Lect. cap. 9.*

DEMETRIUS Poliorcetes, & Mar. Antonius Triumvir maximè adſtipulati ſunt Platoni: Vitia item magna, aut virtutes à magna proferri indole: Fuerunt æquè luſtris, vinoque dediti bellicoſi, munifici, ſumptuoſi, inſolentes. Jam fortunæ quoque habuerunt paritates conſentaneas. Non ſolùm enim per totam vitam reliquam magnas res feliciter geſſerunt, magnis in rebus ceſpitaverunt, plurimis potiti ſunt, plurimas amiſerunt: inopinato conciderunt, præter ſpem denuò ſunt excitati: verùm etiam vitam finierunt, captus alter ab hoſtibus, alter penè in eam fortunam delapſus. *Plut. in Demetrii proœmio.*

Rempublicam Athenienſium Rethorum furiis, & Macedonum armis preſſam, Phocion virtute ſua, quantum potuit ſublevavit. Cato minor rem Romanam contra Cæſaris, Craſſi, & Pompeii conſpirationem aliquandiù ſuſtinuit, ne ſimul, atque ſemel corrueret. Ille à populo malè grato in carcere cicuta ſublatus eſt: hic Uticæ, ne in Victoris Cæſaris manus incideret, ſibi ipſi manus intulit. *Plut. in Catone.*

M. MARCELLI, & PELOPIDÆ ingenii, morumque ſumma eſt conſenſio: quia fortes ambo, & impigri, & animoſi, excelſique fuerunt. *Plut. in eorum comparat.*

DION Syracuſanus conſuetudinem cum Platone habuit, M. Brutus Romanus præceptis imbutus fuit Platonis: Itaque quaſi ex una ambo palæſtra ſunt ad maxima certamina progreſſi. Nec mirùm eſt, eos multis factis conſimilibus, & germanis edendis præceptori virtutis aſtipulari, ut res amplas, & ſplendidas geſtas in Republ. procuranda, potentia & fortuna requiri cum prudentia, & juſtitia aſſociationem. Uterque ſublatus de medio ante metam eſt, uti facta ſua ex multis, & magnis contentionibus deponere, ſicuti inſtituerant, nequivere. Quòd verò omnium eſt maximè ſtupendum, utrique Deus vitæ exitum prænunciavit parum propitio ſpectro juxtà utrique oblato. *Plut. in in Vitis.*

ROMULO videtur Theſeus multis nominibus congruere, Ambo enim incerta orti, nec juſta ſtirpe, fidem acceperunt natalium divinorum:

Pugnaces ambo, quod certè novimus omnes.

& conjuncta cum viribus corporis præditi fuerunt prudentia. Urbes clariſſimas ille Romam condidit, hic cultoribus frequentavit Athenas. Raptor uterque feminarum: neuter domeſtica incommoda, vel invidiam declinavit familiarem: immò verò ſub exitum vita offendiſſe uterque cives ſuos fertur. *Plut. in Theſeo.*

Fama percrebuit, NUMAM Pompilium ſapientiam, & eruditionem ſuam ex Pythagora philoſopho hauſiſſe. Magna enim ex parte hic Reipubl. ſuæ inſtitutionem, philoſophiam ſuperior in rebus divinis poſuit. Exteriorem ſpeciem quoque, & perſonam eadem ac Pythagoras mente dicitur petiſſe. Fertur ille, ita manſueſeciſſe aquilam, ut certis vocibus ſiſteret, & devocaret ſupervolantem: jam in conventu Olympiaco tranſeuntem femur aureum protuliſſe, aliaſque commemorant monſtrificas ejus artes, & facta. Numæ fabula, deæ cujuſpiam, aut nymphæ montanæ amor, & arcanum cum ipſo contubernium erant, mutuaque cum Muſis conſuetudo. Pleraſque autem divinationes ſuas contulit in Camœnas. Unam peculiariter, atque eximiè venerari præcepit Romanis, Tacitam eam nominavit: quæ commemoratio viſa eſt, & obſervatio ſilentii Pythagorici. Jam hujus de ſtatuis ſcita, undequaque Pythagoræ placitorum ſunt germana: neque enim ille ſenſui, aut ulli dolori expoſitum rerum principium eſſe, ſed inviſibile, incorruptum, ſola mente exiſtimavit apprehenſibile. Hic vetuit Romanis hominis, vel beſtiæ formam tribuere Deo, neque fuit ulla apud eos ante, vel picta, vel ficta imago Dei: ſed primos centum ſexaginta annos templa extruxerunt, & cellas diis, ſimulacrum per id temporis nullum habuerunt, nefas putantes auguſtiora exprimere humilioribus, neque aſpirari aliter ad Deum, quam mente poſſe. Adhæc hoſtiæ ejus reſpondent planè victimis Pythagoricis: incruentæ enim erant, ac ferè farina, libaminibus ex vino, & rebus ſimpliciſſimis parabantur. *Plut. in Numa.*

CAJUS CALIGULA, & Domitius Nero, qui uno Claudio interjecto poſt, Cajum imperavit, duæ humani generis faces dicti ſunt, duabus Agrippinis geniti. Hic ex Caligulæ ſorore illi ex Agrippæ, & Juliæ filia, quæ Germanico nupſerat. *Sab. lib. 2. Enn. 7.*

IN UNO ALIQUO. Puta Similes

Eruditione.

D. Hier. in Catalogo ſcriptorum illuſtrium, Philonem Judæum recenſet, qui & eloquentiam, & omnem Græcanicam eruditionem ita ſit aſſecutus, tum Platonicam in dicendo majeſtatem ubertatem ſic expreſſerit: ut eum alterum Platonem appellet. Teſtatur autem apud Græcos, vulgò de illis dici ſolitum: *Ἢ Πλάτων φιλωνίζει, ἢ Φίλων πλατωνίζει.* id eſt, Aut Plato Philonem imitatur, aut Philo Platonem. Extat hujus opus, in quo vitas illuſtrium aliquot Hebræorum tractat, orſus ab Abraham, omnia trahens ad morales allegorias: ſtilo candido, & ſublimi, ac divinum quiddam præ ſe ferente, qualis eſt & Platonis: gaudet ſymbolis, ac myſteriis numerorum, quod ipſum Pythagoræ, Platonique familiare. Ad morum inſtitutionem accommodat omnia: nec hac parte diſſidens à Platone. *Eraſ. in Adag.*

Opinione.

SOLONI Plutarchus P. Val. Poplicolam confert, quod licet in multis diſſentiant, at in eo tamen conveniant, quod Poplicola Solonis æmulus fuiſſe videatur, ut Solon viciſſim Poplicolæ præco, ſive teſtis, qui ſub perſona Telli Athenienſis longè perfectionem deſcribat Valerium.

Prudentia.

Mihi videtur P. CORN. SCIPIO [inquit Polybius] Lycurgo Lacedæmoniorum legislatori naturam conſimilem habuiſſe, & voluntatem. Neque enim Lycurgum exiſtimandum eſt per ſuperſtitionem, & in omnibus ſacrificulæ Delphicæ obtemperantem Laconicam Rempubl. conſtituiſſe: neque Publium ſomnia, & omnia ſecutum, tantum patriæ principatum peperiſſe. Sed cùm uterque videret, pleroſque mortales, nec inopinata conſilia facilè admittere, neque periculis, & diſcriminibus

abſque divini auxilii ſpe, ſeſe committere audere: Lycurgus Pythia ſemper conſiliorum ſuorum duce, & auſpice aſcita, facilius perſuaſit, & ad exitum conatus ſuos perduxit. Publius verò conſimiliter, quaſi divino afflatu incitatus res gerendas aggrederetur, animos ſuis addidit ad pericula promptè adeunda, quamvis omnia conſilij & ratione facere, & exitus negotiorum omnium conſiliis ejus reſponderet. Nam beneficum quidem eum fuiſſe, & magnanimum, conſtat: ſolertem verò fuiſſe, & ſobrium, & cœpta urſiſſe, nemo conceſſerit, præter familiares ejus, & ſpectatores, explorato ejus ingenio: quorum unus fuit C. Lælius, ab adoleſcentulo, & factorum, & dictorum ejus omnium uſque ad obitum ſocius, qui hanc de eo opinionem commovit, eo quòd probabilia dicere, & conſentanea rebus ab illo geſtis videbatur. *Suidas.*

Conſilio.

THRASYBULUS Mileſiorum tyrannus à Periandro Corinthio idem quod Sex. Tarquinius à Tarquinio Superbo, de papaverum capitibus decutiendis, reſponſum accepit. *Alex. lib. 2. cap. 3. Gen. dierum.*

Stratagemate.

☞ *Ex loco Stratagematum huc ſimilia exempla.*

ZOPYRUS Babylonios, SEX. Tarquinius Gabios, PISISTRATUS Athenienſes, DIONYSIUS Syracuſanos, corpore vulneribus afflicto ſubegere: Adoleſcens quidam Cumanos ab Ariſtodemi tyrannide liberavit. Eodem aſtu Soſis Syracuſanus Dionem perdere fruſtra tentavit.

Fortitudine.

☞ *Vide præced. Duces clari ſimiles.*

Audacia.

Quæ LIVIUS, & cæteri Romanarum rerum ſcriptores de C. Mutio tradunt, haud multum ab iis diverſa, quæ Agatharchides Samius de Ageſilao Themiſtoclis fratre ſcripſit, qui Mardonium pro Xerxe in Perſicis caſtris interfecit. Melior tamen in Scævola eventus, quia pax ſecuta. *Sabell. lib. 7. Enn. 2.*

Ortus temporis.

Sexto die Targelionis natus eſt SOCRATES, item ALEXANDER Magnus. Eodem die Alexander obiit, & Diogenes Cynicus. *Alex. lib. 4. c. 20.*

TIBULLUS, & OVIDIUS Poetæ eodem anno, & die nati, quinquadriis ſcilicet Minervæ, intra Calend. Aprilis. *Gyrald. Dialogo 4. Hiſt. Poet.*

HOMERUS eadem nocte genitos tradit HOMERUM, & POLYDAMANTEM, diverſæ alioqui ſortis viros. Sic *Plin. lib. 7. cap.* 49. M. Cæcilium Rufum, & C. Licinium Calvum, oratores ambo, ſed diſpare eventu.

Mortis genere.

☞ *Conſule locum Mortis.*

Mortis tempore.

☞ *Eodem tempore trucidatorum exempla pete è loco Mortis tempus.*

T. LIVIUS Hiſtoricus, & P. OVIDIUS Naſo Cal. Januarii eodem anno obierunt.

Mortis omine.

PANTOMIMUS Mneſter paulò ante cædem Caligulæ tragœdiam ſaltavit, quam olim Neoptolemus tragœdus ludis, quibus Rex Macedonum Philippus occiſus eſt, egerat. *Suetonius in Caligula.*

Damno mutuo.

Hegeſander Delphus in Commentariis: Tempore, inquit, imperii ANTIGONI Gonatæ, tanta fuit leporum copia in Aſtypalæa, ut ejus loci incolæ reſponſum expetiverint de ipſis: ac reſponderit oraculum, canes nutriendos eſſe, venarique opus eſſe: ubi intra anni ſpatium plures ſex millibus capti fuerunt, quæ tanta crevit multitudo ex geminis leporibus, quos attulerat in ipſam inſulam Anaphænus quidam. Cùm viciſſim Aſtypalæus quidam binas perdices in Anaphem inſulam portaſſet, tanta perdicum copia in Anaphe fuit, ut propiùs periculo fuerit, ne incolæ regionem deſerere cogerentur. Aſtypalæa autem nullos habebat lepores anteà, ſed perdices. Eſt autem lepus fœcundum animal, ut Xenophon teſtatur in Venatorio, & Herodotus. *Athen. lib. 9. cap. 20.*

Imperii duratione

Regnum Perſarum à CYRO uſque ad ALEXANDRUM ſtetit annos 210. qui numerus ex integris ſeptenariis 30. conflatur. Totidem annos imperarunt Longobardi. Paulus Diaconus tres annos detrahit, qui reſtant uſque ad necem Deſiderii. Tandiù CALETUM tenuerunt Angli. Reges Syriæ, & Aſiæ minoris à NICANORE primo rege uſque ad Philippum ultimum totidem. Ab AUGUSTO ad AUGUSTULUM poſtremum Imperatorum, item ab exactis urbe regibus uſque ad Cæſarem, idem numerus annorum CDXCVI. recurrit. A Conſtantino Magno ad Carolum Magnum, quo anno primùm Imperator Romæ creatus eſt, anni 496. Ab Alba condita, uſque ad ejus everſionem à Tullo hoſtilio, totidem. A Saule primò Rege Hebræorum, uſque ad captivitatem, totidem. Tametſi Genebraldus tres addit: Garceus verò decem. Talmudici centum ferè detrahunt, ſed nulla ratione. A ſecunda templi conſtructione ſub Zorobabele uſque ad eum annum, quo Herodes à Senatu Rex eſt appellatus, ſunt an. 496. Ab Arſace primo rege Medorum, uſque ad Alexandrum Magnum 696. A Carano primo Macedonum rege uſque ad obitum Alexandri totidem. Funccius octo detrahit, alii duodecim addunt.

Victoria.

Quo die GRÆCI XERXEM ad Salaminem eodem Gelon Syracuſanorum, & Theron Agrigentinorum tyranni, Hamilcarem Carthaginenſium regem, qui colluviem gentium ad trecenta millia hominum ducebat, ſuperarunt. *Herod. lib. 7.*

Quando ad Chæroneam PHILLIPPUS Macedo Athenienſes vicit, eadem die, & hora in Italia certamen aliud commiſſum inter Lucanos, & Tarentinos: in quo prælio Archidamus Lacedæmoniorum rex pro Tarentinis pugnans interemptus eſt. *Diodor. lib. 16.*

COSMUS Medices Florentinorum Dux de exulibus Florentinis victoriam obtinuit ipſis Auguſti Calendis, quo felici die Auguſtus Cæſar olim nutantis imperii nomen Actiaca victoria confirmarat: cùm ipſe Coſmus eundem, uti Auguſtus, horoſcopum in genitura nactus Capricorni ſydus pro argumento in inſignibus geſtare conſueſſet. *Sab. ſupplem. lib. 22.*

Captivitate.

MARCUS Prætor ſuperato in Philippicis campis Bruto, cujus partes ſecutus fuerat, Barbulæ ignotus ſervivit. Nec multò pòſt, ſuperato ad Actium M. Antonio, Barbulam Marcus inter captivos adductum, & redeuntem, itidem incognitum, pro ſervo habuit. *Fulgoſ. lib. 6. cap. 11.*

Clade, Strage.

A clade CANNENSI Rom. ad Varianam à Germanis illatam anni ſunt. 224. ex integris æquè ſeptenariis, & utraque clades contigit. 4. Non Auguſti.

Honoris genere.

Quo modo Hiſpani adierunt in Babylone ALEXANDRUM ita Parthi cum Medis, Gothi cum Ponticis, Auguſtum mundi dominum conſalutavere in Terracone, hoc eſt, in occidua Hiſpania. *Crantz. lib. 1. Sveciæ, cap. 35. ex Oroſio.*

* Simonia.

DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

SIMONIA à SIMONE Mago nomen accepit potiùs, quàm à Giezi famulo Heliſæi, aut Balaam, qui hoc etiam peccato infecti fuerunt; quòd ille primus tempore novi Teſtamenti hoc vitium admiſerit. *Actor. c. 8.* & in eo graviſſimè deliquerit, ut qui voluerit emere Spiritum ſanctum, eumque vendere, ut docet *S. Aug. tract. 10. in Joan.* quodque pertinaciter ſuſtinuerit hoc eſſe licitum, quod inſinuat *Ambroſ. lib. 2. c. 4. de Pœnit.*

Eſt ergo SIMONIA ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi pretio temporali rem ſpiritualem, aut ſpirituali annexum. Ita *S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 1.* & *Gloſſ. in c. 11. qui ſtudet 1. q. 1.* itaque per emptionem, aut venditionem intelligitur omnis contractus non gratuitus, quocunque nomine vocetur, & per (pretium) intelligitur tam pretium muneris, ut ſunt ea quæ vendi conſueverunt, quàm pretium linguæ, aut obſequii, quale eſt miniſterium aliquod in rebus temporalibus. Spirituale verò intelligitur non omne, aut ſolùm incorporeum, ſed quod aliquo modo eſt ſupernaturale; ſive ſit aliquid reale, ſive morale tantùm, ſive in modum actus, ſive in modum habitus.

Eſt SIMONIA jure divino prohibita, quod quidem præceptum non eſt poſitivum, ſed continet jus naturæ, ut docet *S. Thom. 1. 2. q. 100. art. 2. in corp.* hoc enim colligitur *Act. 8.* ubi Petrus ad Simonem Magum, Pecunia tua tecum ſit in perditionem, inquit, & rationem dat, Qui donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri, id eſt, quia voluiſti id, quod ſola Dei donatione haberi poteſt, habere pecunia, ubi apertè inſinuatur, id eſſe contra legem naturæ.

Partitio.

A Simonia dividitur in eam, quæ eſt juris divini, & eam, quæ eſt juris humani, qualis committitur in venditione beneficiorum ſecundùm partem temporalem, aut venditione rerum minus ſpiritualium, item permutatione beneficiorum facta abſque ſuperioris auctoritate.

Iterùm dividitur in mentalem, quando quis conferendo ſpirituale intendit obligare ad temporale: vel è converſo. Conventionalem, quando proceditur ad conventionem externam, etiamſi non ſubſequatur executio, & Realem, quando pactio ex utraque parte completa eſt, ſaltem inchoatè.

Denique alia eſt Simonia confidentiæ, v. g. quando quis reſignat, aut alio modo procurat beneficium alicui, confidens ipſum aliquando illud nepoti, aut amico ſuo reſignaturum.

Poenæ variæ.

Et quidem quoad Poenas Juris.

Nulla Simonia inducit pœnas juris ipſo facto, niſi in ordine beneficiis, & ingreſſu religionis, ut docet *Navar. c.* 23. *n.* 111. ut etiam nulla mentalis, abſque aliquo pacto tacito, vel
B expreſſo, ut communiter tenent Doctores.

Simonia realis circa ingreſſum religionis, tam dantibus, quàm accipientibus indicit excommunicationem.

Capitulo verò, vel conventui conſentienti, ſuſpenſionem. Extrav. Urbani IV. quæ incipit, *Sanè in vinea*.

Etiam conferens ordines Simoniacè, excommunicatur. *Extrav. Cum deteſtabile*, eſtque ſuſpenſus à Collatione Ordinum, & executione omnium munerum Pontificalium. Ita bulla Sixtina.

Qui autem ſimoniacè ordinem ſuſceperit, excommunicatur ipſo facto, & ab executione ordinum ſuſpenditur, fitque irregularis, ſi in ſuſpenſione eos exequatur, & à nullo præterquam à Romano Pontifice abſolvi poteſt.

In beneficiis autem Simonia realis excommunicationem inducit. *Dict. Extrav.* tam in conferente, quàm accipiente, & talis collatio nullum titulum, aut jus tribuit. *Ibid.* fitque ita acceptans inhabilis ad idem beneficium, neque triennalis poſſeſſio ei ſuffragatur.

Etiam mediatores ad has Simoniæ ſpecies excommunicantur. Simonia confidentiæ utrique parti contrahenti indu-
C cit Excommunicationem Papalem, privationem beneficii, ac omnium aliorum, & inhabilitatem ad eadem.

Quæ inhabilitas incurritur etiam in Simoniaca electione Papæ, & quando examinatores ad parœcias, ab examinandis occaſione examinis quid accipiunt. *Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 18.

☞ *Plura quærantur apud Canoniſtas, & Summiſtas.*

Poenæ Divinitus Inflictæ.

☞ *Ubi etiam Exempla varia Simoniacorum.*

Ac primùm ex S. Scriptura.

Simoniæ arguitur Esau, vendens fratri ſuo primogenituræ honorem, cui annexum erat decus ſacerdotii, & jus ad obtinendam primam benedictionem patris. Ideòque ab Apoſtolo vocatur profanus. *Heb.* 12. quia rem ſacram viliſſimo pretio temporali vendidit, & profanavit. *Geneſ. cap.* 25.

Etiam Jeroboam hujus ſceleris reus arguitur, de quo Scriptura. Quicumque volebat, implebat manus ejus, & fiebat ſacerdos excelſorum.

Et propter hanc cauſam peccavit domus Jeroboam, & everſa eſt, & deleta de ſuperficie terræ.

Simoniacus quoque fuit Giezi Servus Eliſæi, qui, quia pro
D gratia ſpirituali Naman Syro à Domino ſua imperitia veſtes accepit, & argentum, in ſempiternum cum ſemine ſuo factus eſt leproſus quaſi nix. 4. *Reg.* 5. 26. 27.

Antiochus Epiphanes Syriæ Rex ſummum Sacerdotium impiiſſimo Jaſoni vendidit: ob quam cauſam, Dei cultus, & ſacrificia planè contempta fuerunt, & ad Gentium ritum tranſlata. 2. *Machab.*

Judas proditor vendendo Chriſtum Dominum Dei filium ſimoniam commiſit: ob idque laqueo ſe ſuſpendit, medius crepuit, & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus. *Act.* 1.

Hoc etiam crimine affectus fuit Simon ille Magus [pater, & quaſi omnium Simoniacorum inventor, & parens) qui ſibi donum Spiritus ſancti pretio comparare voluit; cui propterea Petrus dixit: Pecunia tua tecum ſit in perditionem. *Actor. cap.* 8. 19. & 29.

Historica.

Tempore Henrici II. Imp. an. Dom. 1055. cùm ſimoniaca hæreſis totam Italiam, & Burgundiam occupaſſet. Victor II. Pontifex Max. miſit à latere ſuo Archidiaconum Hildebrandum ad ultramontanas partes cum quibuſdam E Epiſcopis. Cùm autem ad Lugdunenſem Provinciam perveniſſet, in ea Synodum celebravit: in qua per ipſum Archidiaconum Deus maximum dignatus eſt operari miraculum. Reſidentibus enim in ea Synodo Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliarum Eccleſiarum Prælatis. Archiepiſcopus vir quidem literatus, & eloquens accuſatus eſt de crimine ſimoniæ: qui ſequenti nocte omnes ſuos accuſatores pecunia corrupit, & ſibi amicos fecit. Manè autem facto rediens ad Synodum, audacter dixit: Ubi ſunt, qui me accuſant? exeat in publicum quicunque me voluerit damnare. Tunc obmuteſcentibus cunctis, prædictus Archidiaconus, tanquam vir diſcretus, & ſapiens, convertens ſe ad illum, dixit: Crediſne, ò Archiepiſcope, Spiritum ſanctum cum Patre, & Filio unam eſſe ſubſtantiam Deitatis? Quo reſpondente; Credo, addit Archidiaconus: Dic Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Tunc ille Gloria Patri, & Filio, expeditè dicebat, ſed Spiritum ſanctum nullatenus proferre poterat: quid mirum, cùm ſit ſpiritus veritatis? Quem cum frequenter inchoaret, & F nihil proficeret, videns ſe per divinum judicium omninò confuſum, procidit ad pedes Archidiaconi, & confeſſus eſt proprio ore ſe Simoniacum eſſe. Poſtquam verò à ſacerdotali, & Epiſcopali officio eſt depoſitus, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto clara voce decantavit. Quod factum ſimoniacos in tantùm perterruit, quod præter alios Prælatos Eccleſiarum viginti ſeptem, Epiſcopi quadraginta quinque ſimoniacos ſe eſſe confeſſi ſunt, & ſuis honoribus aſque ulla alia accuſatione renuntiaverunt. Celebrata Synodo, & aliis rebus ritè ordinatis, & compoſitis. Legati ad urbem redierunt. *Nicol. Aragon. Card. de antiq. geſt. Rom. Pont. apud Baron. t.* 11. *an. Dom.* 1055. 16. 17.

Non minus etiam memoranda eſt prodigioſa damnationis cauſa Petri Papienſis Archiepiſcopi Florentini: hic namque ob ſimoniæ notam à Joanne Gualberto viro morum ſanctitate inſigni, qui primus Valliſumbroſæ monachalem congregationem inſtituit, cùm eſſet graviter increpitus, res ad ignis indicium fuit deducta. Præfigitur itaque locus, & dies, quo illud fieri debeat, ut ſi qui velint, poſſint coram intueri. Locus præfixus eſt in Monaſterio Septimii, quod tunc erat Ordinis memorati; nunc verò Ciſtercienſium eſt. Dies fuit quarta fe- G riæ primæ hebdomadæ Quadrageſimæ. Modus probationis fuit ejuſmodi, ut in loco publico duæ lignorum ſtrues juxta ſe fierent, quæ obtinerent in longum decem pedes, in latum quinque, in ſublime quatuor, & dimidium: inter utraſque verò ſtrues ſemita intereſſet longitudine brachii prunis ardentibus conſtrata, per quam unus ex monachis tranſiret. Ubi advenit ſtatus dies, & hora, invitatur Epiſcopus Petrus à ſuis, ut accedat viſurus tantæ rei experimentum, ne civitas Florentina tam diuturna vexetur altercatione. At ille prorſus renuit: immò ſi qui charum eum haberent, eos eò accedere vetuit. Sed plebs omnis utriuſque ſexus, & cleri maxima pars illuc properarunt. Pollicentur fautores Epiſcopi, ſi ea probatio ſuo potiatur effectu, ut quiſquam è fratribus per ignem illæſus tranſeat, ſe ipſis ſuffragaturos, & ab Epiſcopo defecturos. Itaque fiunt Litaniæ, & aliæ preces à monachis, ſacrificium ſolemniter celebratur ab Abbate illius inſtituti, clericis, & monachis. Ubi ventum eſt ad Agnus Dei, unus ex monachis fert aquam ſacratam ad aſpergendum, alius thuribulum thuris incendendi cauſa, tertius facullas ad ligna inflammanda, quartus imaginem crucifixi. Invocatur à cunctis Dominus Jeſus Chriſtus, & ſanctiſſima Mater ejus pleno ore, ut rei veritas declaretur. Sacri- H ficio peracto, deponit caſulam, crucemque manu geſtat Abbas, qui ſacrificaverat. Petrus is quoque dicebatur. Litaniis abſolutis, unus ex Abbatibus eligitur, qui clara voce populo exponat petitionis, & ſponſionis conditionem. Deinde Abbas Petrus cum cruce, quam manu geſtabat, S. Joanne interim coram adſtante, & orante, ingreditur per medios ignium globos, flamma in ſublime fertur, calcatque ardentes prunas, quæ erant in via inter lignorum incenſas ſtrues. Sed priùs, quàm ingrederetur cunctis audientibus, ita precatus eſt: Domine Jeſu, vera lux omnium in te credentium, peto miſericordiam tuam, oro clementiam tuam; ut, ſi Petrus Ticinenſis, qui dicitur Florentinus Epiſcopus, pecunia Florentinam ſedem occupavit: tu æterni Patris Filius, tu mea ſalus in hoc tremendo judicio ad me adjuvandum feſtines, & me illæſum ſine ullis aduſtionis veſtigiis conſerves: ſicut olim tres pueros in fornace Babylonica ſervaſti. His dictis per medios penetrat ignes, neque corpori, neque veſtimentis ullo aduſtionis veſtigio inhærente. Cùmque vellet vertere ſeſe, & eadem via per flammas reverti, à populo retinetur, quippè jam perſpicuè rei veritatem edocto. *Guilbert.*
A *Milaneſ. vita Jo. Gualberti apud Sur. tom.* 4. *Urſperg. Abbas an.* 1088. *Baron. tom.* 11. *an.* 1663. 53.

Scribit Gregorius Magnus Gaufredum Carnotenſem Epiſcopum ſub Gregorio Papa VII. Romæ diù detentum reum ſimoniacæ pravitatis, ſed cùm deficerent, qui iſta probarent teſtes, permiſſum ab eodem Pontifice, ut ſeipſum juramento purgaret; ſicque purgatus Romæ ad ſuam eſt reſtitutus Eccleſiam. Verùm cum poſteà ejuſdem Epiſcopi crimina plenè innotuiſſent Æpoſtolicæ Sedi: Urbanus Papa, cùm diſſimulandi nullus locus eſſet, eundem Gaufredum Sede Carnotenſi depoſuit, atque in ejus locum conſecravit Ivonem. *Baron. tom.* 11. *Annal. ad an.* 1092. 2.

Anno Dom. 1101. Joannes Morinorum Epiſcopus, vir per omnia laudabilis, ſacerdotes ambitioſos, & avaros propter eorum ſimoniam, atque alia vitia expulit ex oppido Iprenſi, rogatuque civium, Gerardum quendam ſpectatæ vitæ ſacerdotem divorum Martini, & Petri Eccleſiis præpoſuit. *Jacob. Meyer. lib.* 4. *Annal. Flandric.*

Otho Halneſtatenſis Epiſcopus à Canonicis ſuis accuſa-
B tus Romæ, convictus, & confeſſus, quod pro conſecratione cujuſdam Eccleſiæ triginta ſolidos accepiſſet, ab Honorio Papa depoſitus eſt anno Domini 1129. *Joan. Tritbem. in Chron. monaſt. Hirſaugienſ.*

Anno Dom. 1049. quidam Galliarum Epiſcopus à Leone IX. ſummo Pontifice Epiſcopi honore ſuſpenſus fuit: cujus quidam presbyter, Gibertus nomine, facundus ſermone, & literis haud mediocriter eruditus, eidem promiſerat Epiſcopo, ſe Romam venire, atque callidis ſuis aſſertionibus eundem beatum Pontificem decipere, eique ſublatum officium reſtitui impetrare; ſicque ab eo accepta pecunia, Romam venit: cumq; ſe beato Pontifici præſentaſſet, cæpit ſe huc illucque, ut callidus ſerpens, vertere. Epiſcopum ſuum verbis rethoricis excuſare, blandis, & humilibus precibus, ut interdictum officium injuſtè, ut aſſerebat, ablatum deberet reſtitui, flagitare. Sed cum id, quòd petebatur, ſibi denegatum fuiſſe, nec enim, ut ſperaverat, decipere potuiſſet, ne ad Epiſcopum ſuum, à quo non parvam acceperat pecuniam, ſine affectu reverti videretur, aliud exquiſivit ingenium: adiitque Apoſtolicæ ſedis Cancellarium, eique oblato pretio perſuaſit, ut ſibi furtivas literas,
C & Apoſtolico ſigillo ſignatas ad ſuum Epiſcopum deferendas tribueret, quæ & Epiſcopale officium, & gratiam Apoſtolicæ ſedis ſibi redditam ſignificarent: Quæ res B. Leonem minimè latuit: moxque prædictum presbyterum advocans, acceptam, quam obtulerat, pecunia, eique in ſinum mittens, dixit: Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia donum Dei furtim tentaſti pecuniis poſſidere. Cujus ſermonem divina ultio mox ſecuta eſt, ita ut amiſſa mente ab illa die uſque nunc ubique vagabundus incedat, nec ulla domus, vel clauſtra ultra duos, vel tres dies eum valeant retinere. Qua de re apertè datur intelligi, quòd quiſquis temerario auſu, vel decipere, vel ad iracundiam provocare tentaverit eum, qui in juſtis habitat, procul dubio Dominum offendit, cujus & vindcem iram in ſe ſentiat, quam non expertam temerè devitare neglexerat. *Ex Deſiderio Abb. Caſſin. & Cardin. Baron. tom.* 11. *an.* 1049. 27.

Henricus Imperator à S. VVillemo Abbate Hirſaugienſi reprehenſus, quòd dignitates ſpirituales venderet, & quòd proinde hæreticus eſſet, in publico ſuorum Principum conſeſſu præcepit Hirſaugiam funditus deſtrui, & fugatis monachis bona monaſterii in ſtipendium militibus erogari. Ad hoc fa-
D cinus perpetrandum VVernerus Epiſcopus conſtitutus per ſimoniam ad Eccleſiam Argentinenſem, homo perverſus, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ atrociſſimus inimicus, tanquam obſequium præſtiturus Imperatori, milites cohortatur ſuos, promittit prædam ingentem de ſpoliis monachorum: cumque milites deteſtari nefas tam immane in famulos Dei cœpiſſent, inſanus Pontifex dixit: Ego vos, ò milites fortiſſimi, in hoc obſequium Regis noſtri juſtiſſimi præcedam: & quicumque veſtrum me ſecutus non fuerit, reus læſæ majeſtatis erit. His dictis loricam induit, qua indutus, equum plenus minarum in monachos aſcendit, ſubitòque clamans, & ululans horribiliter cecidit, & morte ſubitanea præoccupatus, cunctis videntibus, expiravit. Cæteri verò tam miſerabilem Pontificis metuentes exitum, valdè timuerunt, nullus eorum deinceps auſus eſt contra monaſterium illud ſiniſtrum aliquid perpetrare. *Joan. Tritbem in Chron. monaſt. Hirſaugien.*

Quid Henrico II. ann. Dom. 1047. quo Imperator creatus eſt, contigerit, quoad hanc rem, ſic VVillelmus Malmesburienſis, & alii poſt eum narrant: Tempore Conradi patris à quodam clerico fiſtulam tulerat argenteam, qua pueri ludo aquam E jaculantur, pactus Epiſcopatum, cùm foret Imperator. Adultus repetenti pollicitum impigrè dederat. Nec multo poſt aſpera valetudine correptus decubuit, morbo creſcente triduo exſenſus, & mutus jacuit, cum in ſolo pectore vitalis halitus palpitaret. Nec aliud vitæ indicium erat, quam quòd manu ad nares appoſita, quantuluſcunque, ſentiebatur anhelitus, Epiſcopi præſentes triduano indicto jejunio, lacrymis, & votis pro vita Regis ſuperos pulſabant. Quibus, ut credi fas eſt, remediis convaleſcens accitum Epiſcopum, quem injuſtè fecerat, ſententia Concilii depoſuit, profeſſus ſe toto triduo dæmones infeſtos vidiſſe, flammam in ſe per fiſtulam jaculantes adeò pertinacem, ut noſter ignis incomparatione illius jocus putetur, & nihil calere. Juvenem inter hæc ſemjuſtulatum lætum adventaſſe, ferentem immenſæ magnitudinis calicem aureum aqua plenum cujus viſione, & laticis aſpergine delinitum extinctis ardoribus in ſanitatem evaſiſſe. Ephebum illum beatum fuiſſe Laurentium, cujus Eccleſiæ tectum longa carie diſſolutum compaginavit, & præter alia xenia calice aureo honorificavit. *VVillelm. Malmesbur. lib.* 2. *de geſtis Regum Angl.* F *cap.* 12. *Matthæus VVeſtmonaſter. iſta locupletius. Baron. Tom.* 11. *an.* 1047. 10.

Cum Macario Ægyptio duo habitarunt diſcipuli in intima ſolitudine, quæ vocatur Scete. Ex quibus unus quidem erat ei miniſter, qui ſemper propè ipſum inveniebatur, propter eos, qui veniebant, ut curarentur: alter autem ſeorſum ſedebat in cella. Procedente autem tempore, cùm Sanctus perſpicaci oculo prævidiſſet, dicit ſuo miniſtro Joanni nomine, qui poſteà factus eſt presbyter in loco S. Macarii: (Presbyteratu enim dignus fuerat in habitus magnus Macarius.) Audi me, frater Joannes; & fer æquo animo meam admonitionem, eaque tibi proderit: Tentaris enim, inquit, & te tentat ſpiritus avaritiæ. Sic enim vidi, & ſcio; quòd ſi meam æquo animo tuleris adhortationem, in Dei timore conſummaberis, & in ejus opere & laudaberis, & in tuum tabernaculum non appropinquabit flagellum: quòd ſi non audieris, in te veniet finis Giezi, cujus vitio laboras. Contingit autem, ut Sancto quidem non obedierit ei, qui Judæ alligavit laqueum propter avaritiam: & poſt alios quindecim, aut viginti annos, cùm bona pauperum ſibi uſurpaſſet, ita laboravit elephan- G tia, ut non inveniretur integer locus in ejus corpore, in quo quis poſſet figere digitum. *Ex hiſtor. Lauſiaca Palladii c.* 19.

In Epiſt. illa 206. *quæ eſt Cyrilli ad Auguſt.* traditur fuiſſe monaſterium quoddam in Thebaidis partibus ducentarum ferè fœminarum ſanctarum utique, ſi non avaritiæ fœditate ſanctitatis decorem polluiſſent. Conſuetudo peſſima apud illas inoleverat nullam in collegium admittendi, quæ certum pecuniæ numerum non afferret. Cuidam ex iis, cujus Deo devotus animus à tam profana negociatione abhorrebat, apparuit in ſomnis Hieronymus jubens, uti cæteris pergeret nunciare, niſi actutum pœnitentes ab ea exactione deſtiterint, ultionem à Deo paratam jam ipſarum capitibus imminere. Cùmque hæc in conventu omnium narrata fuiſſent, riſu excepta ſunt, exiſtimantibus deliramentum eſſe muliercula aniliter deſipientis, nec vera, ut erant, referentis. Altera deinceps, & tertia nocte eadem viſa rurſus coram replicantem, jam odio habitam probro agitantes ejecere: Deo pro illa diſponente, ne ſcilicet Loth cum Sodomis diſperiret, juſtus cum impiis. Vix etenim mulier ſepta monaſterii egreſſa fuerat, cum Monaſterium ipſum terribili fragore funditus concuſſum reliquas op- H preſſit ruina, ut ex tanto numero ne una quidem ſaltem extremum in morte anhelitum ducens poſt caſum ſit inventa. *Ex Epiſt.* 206. *inter ep. Aug. c.* 8.

Nicolaus II. Pontifex Romanus in Lateranenſi Concilio, hoc decretum ſancivit, quod in Decretis extat: Si quis pecunia, vel gratia humana, aut populari, militarive tumultu, ſine concordi, & Canonica electione Cardinalium, fuerit throno Petri collocatus, is non Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus, id eſt, à ratione deficiens, meritò vocatur: liceatque Cardinalibus, Clericis, & Laicis Deum colentibus, illum, prædonem anathematizari, & quovis humano auxilio à Sede Apoſtolica propellere, atque quovis in loco ſi in urbe non liceat, Catholicos hujuſce rei congregare. *Platin. de vitis Pontificum, an.* 1059.

Arialdus inſignis pietate vir commiſeratus ſtatum Mediolanenſis Eccleſiæ, quam dira perſecutio ſimoniacorum, & aliorum impiorum miſerè vexabat, Romam ſe contulit, anno Redemptoris 1056. ſub Victore Papa II. ibique per decennium perſe-

perſeverans, in primis adversùs Guidonem Archiepiſcopum, ſimoniacum, conſtantiſſimè ſtetit: at verò, qui lupus in grege, non paſtor erat, Arialdum monitorem infeſtum non ferens, proditione captum, & per ſuos ad inacceſſas ſolitudines translatum ad necem ductum, ne populus commoveretur, necandum curavit, ubi crudeliſſimè à duobus Clericis ab Archiepiſcopi nepte, tanquam altera Jezabele, miſſis, fuit interfectus: ubi enim illi duo Clerici illuc navigio perveniſſent, egreſſi de nave, ad eos, qui duxerant: Ubi eſt Arialdus? Qui reſpondere dicentes: Mortuus eſt: At illi: Nobis, inquiunt à nepte Archiepiſcopi juſſum eſt videre illum, ſive vivum, ſive mortuum: & aſpicientes videre eminus vinctum ſedentem ſuper ſaxum: in quem ſic anxii irruunt, quomodo leonum catuli ſuper prædam famelici. Evaginatis igitur gladiis, ipſius unus unam, alter verò auriculam arripi alteram, dicentes: Dic furcifer: ſi dominus noſter verè eſt Archiepiſcopus: Qui reſpondit: Nec eſt, nec fuit unquam, quia opus Archiepiſcopi in ipſo non eſt, nec fuit unquam: (Etenim per ſimoniam ingreſſus per ſimoniam ſacra diſtrahere non ceſſabat.) Tunc immites utramque amputant aurem. At ille oculis in cœlum elevatis ait: Gratias tibi ago, Chriſte, quia hodiè inter tuos martyres me dignatus es connumerare. Interrogatus denique iterùm, ſi Guido verè eſſet Archiepiſcopus? qui ſolitam animi conſtantiam tenens ait: Non eſt. Quapropter naſus ipſius protinus cum labio ſuperiore eſt abſciſſus: deinde ambo ſunt effoſſi oculi. Poſteà verò dextram detruncant manum, dicentes: Hæc eſt, quæ faciebat Epiſtolas Romam directas. De hinc radicitus membrum amputant genitale, dicentes: Prædicator caſtitatis hactenus fuiſti: & hinc tu caſtus eris. Poſteà verò ſub gutture linguam extrahunt, dicentes: Modò ſileat, quæ clericorum familiam conturbavit, & diſperſit. Et ſic ſancta illa anima carne eſt ſoluta. *Ex geſtis Arialdi per Syrum presbyt, ejus vitæ ſcriptorem Baron, tom.* 11. *an.* 1066. 19. 20.

* Simplex. Simplicitas.

Definitio, & Etymologia.

SIMPLEX dicitur apud Philoſophos naturales, quod eſt unum, & quod non eſt compoſitum ex multis partibus, tamen eſt compoſitum ex materia: & ſic dicitur de quatuor corporibus, quod ſint ſimplicia. Aliud dicitur de eo, quod non eſt compoſitum ex materia, & forma, quæ mutatur ad formam in potentia: & eſt corpus cœleſte. Et prætereà ſimplex dicitur, cujus definitio totius, & partium eſt eadem, licèt compoſitum ſit ex quatuor elementis. *Aver. ex deſtruct. diſp.* 3.

In moralibus verò SIMPLEX propriè dicitur, qui ſe in res externas, & vanas ſolicitudines non effundit, quietus, ſolique Deo vacans. Sanè ſimplicem accipiunt Scriptores Eccleſiaſtici illum, qui veritatem habet in verbis, & moribus, expers eſt falſitatis, & ſimulationis. Talis enim per metaphoram ſimplex dicitur, quod in ſe nihil habeat doli, compoſitionis, aut permixtionis, & in omnibus ſit ſincerus, quales non ſunt, qui loquuntur pacem cum proximo, mala autem in cordibus eorum. Eſtque hæc ſimplicitas commendata à Chriſto, *Mat.* 10. quando exigit à ſuis columbinam ſimplicitatem. Item à Deo in lege veteri *Levit.* 19. quando noluit agrum ſeri diverſo ſemine: ut ſignificaret ſe omni in re commendare hominibus ſimplicitatem, & impermixtionem. Sed audiamus de hac virtute encomia Scripturæ, & Patrum.

SIMPLICITATIS ENCOMIA.
Ab Exemplis, et Auctoritate.

Commendatur in Scripturis JACOB Patriarcha, quòd fuerit vir ſimplex תם *tam*, quod vertunt LXX. ἄπλαστος, ſine fuco, non duplex. *Tam* autem Hebraicè idem eſt, quod innocens, rectus integer, à radice תמם *tammam*, ſive *tamam*; quòd eſt perficere. Propter hanc autem virtutem Jacob à Deo benedictus fuit: ut meritò illi poſſit tribui illud emblema, Prudens ſimplicitas, denſa felicitas. *Geneſ.* 25. Etiam Job deſcribitur vir ſimplex, & rectus, quod nonnulli ad manſuetudinem referunt. Simplex ait *S. Beda l.* 1. *de templo Salomon.* quia nullum lædere, immò prodeſſe deſiderabat: rectus, quia ſe à nullo corrumpi permittebat, at S. Hieron. dici ſimplicem, quaſi ἄπλαστον, id eſt, ſine fictione.

Etiam JOSEPH, & DAVID vocantur ſimplices.

De primis Chriſtianis dicitur in Actis, quòd perſeverabant in oratione, & ſumebant cibum, qui in commune diſtribuebatur, cum exultatione, & ſimplicitate cordis, id eſt, cum ſumma integritate, abſque fuco, aut faſtu Phariſaico.

Ab hac ſancta ſimplicitate ait *Clemens Alex. lib.* 1. *Pæd. c.* 5. nos vocari toties in Scriptura pueros, & infantes.

Laudat ab hac virtute fratrem Satyrum *Ambroſius orat. de obitu illius*, & definit eam eſſe quandam morum temperantiam, mentiſque ſobrietatem. Illum verò tantùm dicit habuiſſe ſimplicitatis, ut converſus in puerum ſimplicitate illius ætatis innoxiæ, perfecta virtutis effigie, & quodam innocentium morum ſpeculo reluceret. Certè Deus cùm ſit in ſe ſimpliciſſimus, amat ſimplicia, & adulterinas mixtiones odit, ac perſequitur. Unde *Cyrillus lib.* 8. *de Adorat.* dicit, veritam eſſe olim diverſi ſeminis in unum agrum effuſionem, ut eo velut ſymbolo morum deformitas vetari intelligeretur. Omnibus nobis in converſionis initio nulla magis neceſſaria, quàm ſimplicitas verecunda, inquit *S. Bernard.*

Hinc Sapiens *Proverb. cap.* 11. *v.* 20. Abominabile, ait, eſt cor pravum, & voluntas ejus in his, qui ſimpliciter ambulant. Et *c.* 20. 7. Juſtus, qui ambulat in ſimplicitate ſua, beatos poſt ſe filios relinquet.

Simplex, ait *S. Auguſtinus hom.* 2. *in Joan.* eris explicando te à mundo: implicando, duplex eris.

Quid, ait *S. Hieronymus*, ſimplicitate divitius, quæ ſicut bonus paterfamilias ſatis ſibi abundat, & ſua puritate contentus, non quærit alienum: nec abrodit, ſed ſe de cæteris fingit: nec ſe in varias partes commutat, ſicut aſtutia, quæ ut ſit cauta, timet omnia; nec ſuis conſiliis credit: verſat ipſa ſuas ſententias; ſimplicitas autem timere nil novit.

Et rurſum: Prudentia abſque ſimplicitate malitia eſt, & ſimplicitas abſque ratione ſtultitia nominatur. Hinc Chriſtus ait: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.

Audi & Gentiles. *Cicero lib.* 1. *de Officiis*: Compendiaria inquit, via ad gloriam eſt: ut qualis quiſque haberi vult, talis ſit.

Et lib. de amicitia: Apertè odiſſe, vel amare, eſt magis ingenui, quàm fronte occultare ſententiam.

Seneca ep. 10. Virtutem, inquit, bona ſequitur fide, qui ſe non exornat, & pingit; ſed idem eſt, ſive ex denuntiato videatur, ſive imparatus, & ſubitò. Veritas in omnem partem ſui ſemper eadem eſt.

Idem ad Neronem: Nemo poteſt perſonam fictam diù ferre, ficta in naturam ſuam citò recidunt.

Idem in proverb. Malus, inquit, ubi ſe bonum ſimulat, tunc eſt peſſimus.

SIMPLICITATI QUÆ ADVERSENTUR.

SIMPLICITATI huic ex diametro adverſatur omnis duplicitas, dolus, fraus, ſimulatio, dummodò injuriam alteri irrogent, aut falſitatem habeant admixtam. Datur enim dolus bonus, de quo *in Loco de Dolo*; & deceptio, quæ utilitatem adferat illi, qui decipitur, quomodo ægrotis nonnunquam medicina, quam abhorrent, occultatur, aut novacula, quæ ulcus aperiat, obtegitur. Atque hoc etiam modo uſurpatam in ſacris literis legimus nonnunquam deceptionem, aut fictionem, ſive opere ipſo, ſive verbo expreſſam, & notant DD. in Abraham immolaturo filium: Jacob percipiente à Patre benedictionem: Hebræis accipientibus à vicinis vaſa aurea, & argentea, ad uſum ſacrificii. Chriſto fingente in Emaus coram diſcipulis ſe longius ire: & aſſerente ſe ignorare diem, aut horam futuri judicii. ☞ *Vide plura ſequenti Loco.*

MENTALES RESTRICTIONES.
In Quantum Simplicitati Obsint.

Plerique in depravatum ſenſum detorquentes exempla ſanctæ fictionis, univerſum illius genus, tanquam laude dignum, cenſuerunt, & tunc demum ſe probè egiſſe rem ſuam apud proximum arbitrantur, ſi illum ambiguitate verborum, quæ aliud ſonent, qua in mente ſentiant; circumveniant, & relegent, cùm interim verè mentiantur, aut proximum fallant, ac procul ſe abeſſe demonſtrent ab eo, qui dixit: Non ambulantes in aſtutia: Providens enim Scriptura, ne dum velis vitare mendacium, incidas in fallacias, vel dolum, dicit: Non mentiemini, neque decipiet unuſquiſque proximum ſuum. An nō decipit, qui aliud dicere intendit, quam præ ſe fert, aut è contrà? cum rectè dixerit *Tert. l.* 4. *cont. Marc. c.* 38. juſta, & digna eſt præſcriptio, in omni quæſtione ad propoſitum interrogationis pertinere debere ſententiam reſponſionis. Cæterùm aliud conſulentis, aliud reſpondere, dementis eſt. Similiter *S. Auguſt. Ep.* 224. Perjuri ſunt, qui ſervatis verbis, expectationem illorum, quibus juratum eſt, deceperunt. Dicent alii, non teneor reſpondere: Ita eſt, cura igitur tacere, vel reſponſionem declinare, quia non potes fallere. Præcipimur enim ab Apoſtolo eſſe ſimplices filii Dei, & veritatem unuſquiſque loqui cum proximo ſuo debet; juxta eundem ad *Epheſ. cap.* 4. Immò Gloſſa in *cap.* 22. *Deuteron.* Ubi Deus vetat indui veſtem lana, linoque contextam; aſſerit vetari à Deo malitiæ ſubtilitatem verborum fuco contectam.

Et

Et quamvis dari caſus poſſe videatur, quo reſtrictione mentali licitè uteremur, puta ſi coram illegitimo judice quis cauſam gravem defendere, & ad interrogata reſpondere cōpellaretur; nihilominus illicitè eadem promiſcuè quidam utuntur; & peccant contra ſimplicitatem à Chriſtianis requiſitam, & ſinceritatem omnem violant, cùm hac ratione eludatur quæcunque veritas. Exclamandum potius cum *B. Ambroſio de obitu fratris*, Anima benedicta omnis, ſimplex.

☞ *Vide nonnulla in Loco de Simulatione.*

* Simulachrum.

Definitio, et Etymologia.

SIMULACHRUM quod σέβασμα Græcus interpres exponit, eſt idem quòd ſtatua Deorum gentilium, quamvis ſumatur latius pro quavis imagine ad ſimilitudinem rei alicujus efficta, quam etiam εἴδωλον, εἰκὼν, & ὁμοίωμα Græci appellant. Ovidius ita utitur hac voce 2. *de Ponto eleg.* 8.

Felices illi, qui non ſimulachra, ſed ipſos,
Quique Deum coram corpora vera vident.

Et iterùm:

Sic homines novere Deos, quos arduus æther
Occulit, & colitur pro Jove forma Jovis.

☞ *De Simulacrorum varietate, cultu, veneratione, aliiſque huc facientibus, Vide Locum de Ethnicis, Imaginibus, Statuis.*

Simulatio.

Definitio, et Etymologia.

SIMULATIO eſt mendacium in actionibus vitæ, & à Græcis dicitur ὑπόκρισις ab Hebræis *Chenoph* à verbo *Chaneph.* velatus eſt, ſimulavit. Differt autem à diſſimulatione, quòd ea dicamus diſſimulare, quæ ſunt, ac ſi non eſſent. Simulamus autem eſſe, quæ verè non ſunt, quia ſimulando intendit quis aliud ſignificare, quàm revera in animo ſentit, aut ſubſit in mente. Itaque ſimulare dicimur, quando ſignificatio, & res ſignificata non ſunt ſimul. Non tamen omnis ſimulatio eſt criminoſa, & mendax, cùm eam nonnunquam uſurpaverit Chriſtus ipſe, & alii viri ſancti. Uti titulo priori diximus.

* Partitio.

SIMULTATIONIS ſpecies quadruplex ſeſe offert. Prior, eaque vitioſa & improba, eſt ſimulatio noxiæ dilectionis, ad fallendum alios, vel rem quampiam iniquè conſequendam, ſuntque hujus generis ſimulatores veri hypocritæ, & opifices fraudulenti.

Altera eſt, juvandi aut ſe, aut alios: item monendi, corrigendi, inſtruendive cauſa adhibetur. Ita non rarò medici periculosè laborantibus, & ſalubres curationes recuſantibus, utili ſimulatione deceptis, & quæ volunt præbent medicamenta, & ſanitatem reſtituunt. Quo etiam modo magiſtri ſophiſmata proponunt, quibus diſcipulorum ſolertiam pertentent.

Hujus ſpeciei ſimulatio fuit, quando Joſeph poni curavit pecunias in ſaccis fratrum, & ſcyphum in ſacco Benjamim, ut eos ſimulatè furti arguens, adduceret in recordationem ſceleris in ſe admiſſi: prout etiam advenit.

Talis quoque ſimulatio erat regis DAVID in ſummo vitæ diſcrimine conſtituti, apud Regem Achis inſaniam præ ſe ferentis, & pleræque aliæ. 1. *Reg.* 21.

Tertia ſimulatio eſt, quæ à divina monitione proficiſcitur, quaque uſi Hebræi vicinos ſpoliaverunt: & JOSUE metum, & fugam ſimulando, hoſtilem exercitum oppreſſit. *Joſ.* 8.

Cui ſimile de Filiis ISRAEL adversùs filios BENIAMIN dimicantibus, fugamque, ut loquitur Scriptura, arte ſimulantibus, meminit liber Judicum *cap.* 20.

Quamvis poſteriora ad aliud ſimulationis genus aptius reducantur, quod in bellis adhibetur, & Stratagemata militaria dicuntur, quæ nihil aliud ſunt, quàm callidæ ſimulationes, per quas dans operam rei licitæ, opportunè ingens malum avertere.

Horum autem quatuor generum ſimulationis, primum dumtaxat deteſtandum eſt: cætera ſine peccato pro tempore, & loco poſſunt uſurpari. Et diſputat de eorundem laudabili uſu *Chryſoſt. ſub finem l.* 1. *de Sacerdotio.*

SIMULARE LICITE, ET OB FINEM HONESTUM.

Simulatio, quam licitam dicimus: non eſt tam mendacium, adjunctam habens fallendi voluntatem, quàm ambigua actio qua quis intentionem ſuam occultat, & in rebus agendis vitio caret.

Ita DAVID rex fugiens à facie SAUL, cùm veniſſet ad Achis Regem, & audiviſſet quædam de ſe proferri, extimuit valdè: & immutavit os ſuum coram principibus & Rege, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in oſtia portæ: defluebantque ſalivæ ejus in barbam. Unde ejectus extra domum Regis, fugit in ſpeluncam, &c. 1. *Reg. cap.* 21.

Itaque DAVID, ut evaderet mortem, ſimulavit ſe fatuum, epilepticum, & inſanum. Hinc bene Poeta:

Stultitiam ſimulare loco ſapientia ſumma eſt.

Advertebat enim ſe cognitum DAVID à famulis Regis, adeòque ſuæ ſaluti timebat, eò quod multa Palæſtinorum millia trucidaſſet, ut ait Joſephus *l.* 6. *Antiq. c.* 13. Loquens autem *Auguſtinus lib. contra mendac.* de eadem ſimulatione, ait, Nec quòd David ſimulavit inſaniam, nec cætera ejuſmodi, mendacia judicanda ſunt, ſed actiones, locutioneſque prophetiæ, ad ea, quæ vera ſunt intelligenda, referendæ.

Ita JACOB ſimulavit ſe eſſe primogenitum Eſau mutatione veſtium, & eripuit benedictionem à patre. *Geneſ.* 27.

JOSUE, & filii ISRAEL ſimulando fugam, occupaverunt urbem Hai. *Joſ.* 8.

JEHU Rex Iſrael quò facilius interficeret Sacerdotes Baal, ſimulabat ſe illud Idolum velle colere 4. *Reg.* 20.

CHRISTUS poſt reſurrectionem, cùm diſcipulis in via ſe componens euntibus in Emaus, ut eorum erga ſe amorem magis accenderet, eos probavit, ſimulando, & fingendo, quòd longius vellet ire. Ob id ait *S. Bernard.* finxit ſe longius ire, quoniam audire volebat: Manè, nobiſcum Domine. Præteriens enim Dominus retineri vult, abjens revocari.

Sic diſcipulos in mari laborantes præterire volebat, ut ea ſimulatione eorum probaret fidem, ut loquitur D. Ambroſius, eliceret preces.

Quando CANANÆA illa poſt eum clamabat ſalutem filiæ expetens, ſciebat, quid facturus eſſet: diſſimulavit tamen, & diſtulit beneficium, ut ejus deſiderium accenderet, & perſeverans amplioris gratiæ dignior efficeretur, & à Chriſto exaltaretur ejus fides.

Ita quoque, cùm vidiſſet turbam multam ad ſe venientem, dicebat ad PHILIPPUM: unde ememus panes, ut manducent hi? hoc autem dicebat tentans eum; ipſe enim ſciebat, quid eſſet facturus. Illa namque interrogatione miraculi, quod facturus amplitudinem, & novitatem magis diſcipulorum menti imprimere ſtudebat, eorumque in Perſona Philippi fidem explorabat.

Ipſe gentium Doctor Corinthiis inſinuat, quomodo infirmis ſe profiteatur infirmum, Judæis Judæum, immò omnibus omnia factum ſe dicit, ut omnes lucrifaceret, quod reipſa præſtitit, dum Timotheum curavit circumcidi, & ipſe in Cenchris palàm totondit caput, ne videretur legem Moyſis, ejuſque ceremonias abominari.

Quocirca *B. Auguſtinus ad Conſentium cont. Mendac. c.* 18. Quod PAULUS ait, omnibus omnia factus ſum, ut omnes lucrifacerem, compatiendo id fecit, non mentiendo: Fit enim quiſque tanquam ille, cui vult ſubvenire: non quia fallat ipſum, ſed quia ſe cogitat, ſicut illum.

Regula Comicorum eſt, *teſte Horatio in arte poetica,*

triſtia mœſtum
Vultum verba decent: iratum plena minarum.

Idem: *—— ſi vis me flere, dolendum*
Primùm ipſe tibi: tunc tua me infortunia lædunt, &c.

Sit quoque eadem regula Chriſtianorum, ut fiat tanquam illi quicunque alteri ſtudet ſubvenire, quemadmodum CHRISTUS poſt reſurrectionem habitu peregrini viatoribus ſe adjunxit: MAGDALENAE in horto exiſtenti, hortulani effigie apparuit: cum manducantibus manducavit. Neque enim vituperium, ſed omnem commendationem meretur illa fictio, qua ſine fallendi voluntate nobis ipſis, aut proximo prodeſſe deſideramus.

Exempla Historica.

Eam honeſtæ ſimulationis, ſeu fictionis neceſſitatem, ac utilitatem eſſe aſſerebat SIGISMUNDUS Imperator, ut Imperio indignum cenſeret, qui hac non polleret.

LUDOVICUS XI. Galliarum Rex, Carolum filium ſuum, propter valetudinis imbecillitatem, ut *Vicentius Lupanus* recenſet

A ſcire Latinè vetuerat, præter unum illud, Qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare, exemplo fortaſſe Tiberii Cæſaris, qui nullam æquè ex virtutibus ſuis, quàm diſſimulationem diligebat, *Teſte Cornelio Tacito.*

Æterno idcircò elogio celebratur TIMOTHEUS Presbyter, quod coacto ad Tyrum concilio, cùm Ariani Epiſcopi accuſaſſent S. Athanaſium, quòd ſtuprum per vim mulieri intuliſſet, & quandam hoc fine ſubornaſſet, ille eam introductam Athanaſio præſente aggreſſus ſit, ſimulans ſe Athanaſium. Egone, inquiens, mulier apud te diverſatus, tibi vim intuli? cui cùm illa petulanter reſpondiſſet: Tu ipſe: cognita impoſtura, ejus impudentia explosa eſt.

Euſebius Vercellenſium Antiſtes, cum Arianos à Dionyſio Albanenſi Epiſcopo ſubſcriptionem ſui erroris extorſiſſe cognoviſſet, ſe quoque in eandem ſententiam pedibus ire finxit, ac ſubſcriptionum indicem ſibi exhiberi poſtulavit. In qua dum nomen Dionyſii inter primos adverteret, ſtomachatus: Quid, inquit, vos filium Patre minorem dicitis, eccur ergo juvenis ille me præcedat; aliam ſchedam proponite, ut ordine quivis ſubſignet. Dixerat, cùm Arriani priorem illam com- B minuunt, & aliam Euſebio deferunt ſignandam. Qui ſubridens: Nec ego, ait, neque meus Dionyſius veſtris impietatibus ſubſcribemus. Ex quo facto concludit D. Ambroſius. Cum dicat, inquit, Evangelium, In hac generatione prudentiores filios tenebrarum filiis lucis, ecce hic ipſis tenebris prudentior filiis lucis, eſt inventus.

Simili aſtu ABRAHAM Eremita animam ſuæ neptis Mariæ lucratus eſt. Lapſa hæc fuerat in fornicationis peccatum, fugaque elapſa, turpi quæſtui ſuum corpus proſtituit. Ille ovem perditam ſollicitè quærens, Eremi cultu obtecto militare ſagum induit, locum, ubi ea lateret, inveſtigavit: Eoque invento, & agnita, cujus ſalutem anxiè quærebat, cœnam opiparam apparari mandat, ac carnibus, quarum uſu jam annos 50. abſtinuerat, cùm illa veſcitur: mox à cœna ad intimum cubile itur: ubi detecto capite & corpore, Abraham ſe prodit. Ad cujus agnitionem anima conſternata illa pedibus ejus advolvitur, veniam deprecatur, & ad Eremi ſolitudinem regreditur, in quâ reliquū vitæ tanta virtute exegit, ut & miraculis claruerit, & Divorum cathalogo adſcripta ſit. *S. Ephren. to. 3.*

CONSTANTINUS Imperator primo Imperii ſui exordiò, pe- C riculum facturus, quinam ex domeſticis orthodoxam fidem amplecteretur, qui verò ab eadem deſciſcerent: ſimulavit ſe eos ſummo honore cumulaturum, qui diis ſacrificare vellent. Ad quam vocem nonnullis Chriſtianorum aula exeuntibus, aliis verò thura diis ponentibus, hos à ſe rejecit, illos velut domeſticos familiares ſummis beneficiis eſt proſecutus, & ita pio aſtu filiorum hujus ſæculi prudentiam ſuperavit. Nec mirum eſt, inquit *Divus Hieronymus* Quamvis juſtos homines, tamen aliqua ſimulare pro tempore ob ſuam, & aliorum ſalutem; cùm & ipſe Dominus noſter, non habens peccatum, nec carnem peccati, ſimulationem peccatricis carnis aſſumpſerit, ut condemnans in carne peccatum, nos in ſe faceret juſtitiam Dei.

☞ Vide quædam in Loco de Mendacio.

FRAUDULENTA SIMULATIO.

Ita Simulant.

RELIGIONEM.

* Cùm MAXENTIUS Tyrannus Gentilium nefarios ritus, D & ceremonias coleret, metueretque, ne ſibi ad imperium tendenti ab innumera Chriſtianorum multitudine aditus præcluderetur, ſimulandi artem ſecutus, principio benignum, ac faventem ſe illis exhibuit? deinde verò cum vires ſuas auctas, confirmataſque cerneret, miram adverſùs eoſdem crudelitatem exercuit. Poſtquam verò ſic Romæ tyrannidem exercuiſſet, tandem fugiens à Conſtantino Imperatore bello victus, ſuo ipſius, quòd dicitur, laqueo eſt captus: ponte enim divina virtute rupto, navibuſque, quibus flumen conſtratum fuerat ſolutis, tranſitus ipſe peſſum iit: & ſcaphæ ſubitò cum hominibus omnibus in undis ſubſedere: ipſeque miſer primus cum propugnatoribus ſuis in flumine merſus, & ſuffocatus eſt, ſicuti olim cum univerſo exercitu Pharao: ut fluvius ille, ad eum qui Milvius dicitur, pontem, equis, & aſcenſoribus refertus viſus ſit. Tum verò ea, quæ olim cantata fuerant, ad oculum repræſentata videre licuit. Currus Pharaonis, & exercitum ejus projecit in mare: electos aſcenſores, ſatelliteſque ſubmerſi in mari rubro deſcenderunt in profundum quaſi plumbum cum aquis vehementibus. *Euſeb. l. 8. c. 16. & Nicep. l. 7. c. 21. & 29.*

* LICINIUS Conſtantiæ magni Conſtantini ſorori matrimonio conjunctus, initio ſe Chriſtianos amore, ac benevolen- E tia complecti finxit, ut Imperatoris amicitia hoc artificio quæſita ſocius fieret, ac conſors Imperii: ubi verò ſe voti compotem factum vidit, depoſita, quam fictè tenuerat, perſona, & in leonem è vulpecula converſus, Chriſti cultores immaniter eſt perſecutus. Eundem autem finem, quem prior tyrannus, eſt conſequutus: ille enim in prælio commiſſo cum Conſtantino in fugam verſus, cùm quid faceret non videret, ſeipſum victoribus dedit, ille, inquam, qui paulò ante minas ferociter ſpiraverat, atque omnia poteſtati ſuæ ſubiicere contenderat. Imperator ſane more ſuo uſus ſolito, vitam quidem illi donavit, eumque ſub cuſtodia eſſe Theſſalonicæ mandavit. Ubi verò ille à moribus ſuis conſuetis non diſceſſit, & fraudulenter inſidioſa conſilia captans, barbarorumque multitudinem mercede conducens, ut bello reſtaurato cladem acceptam ſarciret, ad res novas rurſus ſpectare deprehenſus eſt: Imperatoris juſſu vitam ferro cæſus amiſit. *Euſeb. l. 9. c. 10. Eccl. hiſt. Nicephl. 7. cap....*

* His JULIANUM Imperatorem, fidei deſertorem, vulpem aliam priore non minus aſtutam, hoc loco adiiciendum F operæ pretium duxi, qua nimirum calliditate Chriſtianis favit, ædes ſacras ſtudioſè viſit, Sanctorum venerandas exuvias coluit, Mammeæ martyri templum extruxit, atque alia pleraque Chriſtiani pectoris ſigna per ſummam ſimulationem dedit, ut impedimentis ſublatis ad Imperium ſibi viam ſterneret, eoque potitus Chriſti cultum ex hominum memoria, animiſque tolleret. Sed infelix non magis feliciter ultimum vitæ diem clauſit, quàm priores Tyranni. *Theodoret. l. 3. cap. 2. & Sozom. 5. c. 2. & 5. Niceph. l. 11. cap. 3. & 12.*

* VALENS Imperator, qui Catholicus ad Imperatoriam evectus eſt dignitatem, quamdiu ſibi commodum, ac utile viſum eſt, Antiſtitum fuit obſervantiſſimus, & Baſilii Mag. egregius cultor, admiratorque: ubi verò Eudoxii Patriarchæ Conſtantinopolitani dolis à Catholica veritate abductus in Arianam hæreſim lapſus eſt, in Catholicos crudelitatis ſuæ arma convertit; eòque erupit amentiæ, ut quam hæreticis, & Gentilibus liberam fecerat poteſtatem in ſua ſecta, atque Religione vivendi, ſolis illis negaverit. Hic autem vivus à Gothis, etiam Arianis, crematus eſt. *Ammianus Marcellinus l. 20. &* G *21. Theod. l. 4. cap. 11. & 12.*

* ANASTASIUS Imperator Manichæorum ſectæ addictiſſimus, cùm ſe videret ob hæreſis ſuſpicionem ab Euphemio Conſtantinopolitano Patriarcha ad Imperiale diadema non admitti, verbo, & ſcripto fidem Catholicam publicè profeſſus, ejuſque perpetuam conſervationem jurejurando pollicitus, Patriarcham, & cæteros oppugnatores ſuos egregia fraude circumvenit: Nam de Deo non rectè ſentiens Synchiticorum ſectam ſecutus, qui unam naturam poſt duarum unionem in Chriſto ſervatore ſtatuebant, multis malis Orthodoxorum Eccleſias affecit, erga eorum Præfectos implacabilis. Euphemium Patriarcham ejecit, & ſucceſſorem ejus Macedonium. In cujus locum ſuffectus eſt Timotheus Imperatoris aſſenſor. *Zonar. in Anaſtaſ. Dicoro, tom. 3. Annal.*

* ECEBOLIUS Sophiſta Julianum Apoſtatam diſcipulum habuit, à quo plurimi fiebat, & quo benigno, ac favente utebatur. Is utpote vafer ſimulationis artifex, Chriſtianum, Arianumque finxit ſub Imperatore Conſtantio, ut religionis ſimilitudine Cæſari gratioſus, ac carus eſſet. Poſt cujus obitum ad gentium ſimulachra rediit, ut Juliani, quem Chriſtianæ fidei deſertorem noverat, benevolentiam, ac favorem H hac arte captaret. Juliano miſerabili morte extincto, vix dum Jovinianus Catholicus, ac religioſus Princeps imperii inſulam acceptarat, cum chamæleon noſter Imperatoris recens creati Religionem, ceu novum colorem expreſſit, ſeque (ut ex Socratis hiſtoria liquet) pro foribus Eccleſiæ ad Chriſtianorum pedes abjecit, meliorum ſpe veniam ab illis impetrare contendens, vociferatus eſt, Me quaſi ſalem infatuatum pedibus conculcate. *Socr. lib. 3. hiſt. Eccleſ. c. 11. Baron. tom. 4. ad an. Chriſti 362.*

* HUNERICUS, major filius Geiſerici patri ſuccedens, primordio regni, ut habet ſubtilitas barbarorum, cœpit mitiùs, & moderatiùs agere, & maximè circa religionem noſtram, ut etiam ubi anteà ſub Rege Geiſerico præjudicatum fuerat, ne ſpiritales fierent conventus, conventicula concurrerent populorum. Et ut ſe religioſum oſtenderet, ſtatuit ſolicitus requirendos hæreticos Manichæos, ex quibus multos incendit, plurimos autem diſtraxit navibus tranſmarinis, quos pene omnes Manichæos ſuæ religionis invenit, & præcipuè Presbyteros & Diaconos Arianæ hæreſeos. Unde magis erebuſcens ampliùs A in illos exarſit. Amputatis igitur in brevi omnibus, quos timebat, & ſolidans ſibi, ut putabat, regnum, quod breve fuerat, & caducum, omni ex parte otioſus, atque ſecurus univerſa tela furoris in perſecutionem Eccleſiæ Catholicæ ſicut leo rugiens convertit. Cenſet primò tyrannus juſſione terribili, ut nemo in ejus palatio militaret, neque publicas ageret actiones, niſi ſeſe Arianum feciſſet. Quorum ingens numerus vigore invictus, ne fidem perderet, militiam temporalem abjecit. Quos poſteà domibus projectos, omnique ſubſtantia exſpoliatos relegavit. Sacras Virgines turpiter tractari, graviterque torqueri juſſit. Quarum acerbitate pœnarum plurimas tunc ſcimus extinctas: aliæ, quæ remanſerunt, cutibus areſcentibus factæ ſunt curvæ. Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, & alia Eccleſiæ membra, id eſt, quatuor millia DCCCCLXI. ad exilium eremi deſtinavit. *Victor. Uticenſ. l. 2. de perſecut. Vandal.*

JULIANUS Imp. cujus etiam paulò ante eſt facta mentio, contra Conſtantium movens, cùm ſomnio objecto comperiſſet eum brevi è vita diſceſſurum (quod vulgò magicis artibus, quibus ab ineunte ætate ſtuduerat, eſt tributum) nihil tamen in- B terim de præſenti ſtatu rerum mutavit, ſed quietè omnia conſtituit, & ut omnes, nemine impediente, ad ſuas partes attraheret, ſtudere ſe Chriſtianæ fidei finxit, à qua jampridem occultè deſciverat, atque aruſpicibus, auguribuſque, & Deorum cultibus ſe tradiderat, &, ut hoc celaret, die Epiphaniæ progreſſus in Eccleſiam, ſolenni ritu Deum oravit. Conſtantius contra illum ducens, Mopſueſtiæ in Thracia obiit, ſucceſſorem appellans Julianum. *Sig. l. 6. Imp. occid.*

SAPIENTIAM.

M. Tullius Tuſcul. quæſt. 5. ſcribit, EPICURUM tantummodo Perſonam induiſſe Philoſophi. *Eraſm. in Adag.*

STULTITIAM.

☞ Exemplum Davidis pete ex ſuperioribus.

ULYSSES ne ad Trojanum bellum iret, bove, & aſina junctis terram proſcindere, & ſal ſerere cæpit. Sed aſtum ejus Palamedes detexit. *Cicero l. 3. Offic.*

MERON Athenienſis Aſtronomus, cùm infelicem eventum Siculæ expeditionis prævideret, mente ſe captum finxit, & domum incendit. Itaque inſanus judicatus, liberè dimiſſus eſt. C *Ælian. l. 13.*

NICIAS oppidali Siculæ Euguii præfectus civibus ſuis auctor erat, ut à Pœnis ad Romanos deficerent. Illi Pœnis eum ob hanc rem vinctum tradere cùm conſtituiſſent, id odoratus, irreligioſè multa de Matribus deabus locutus eſt, quaſi negaret, & contemneret earum præſentiam. Tandem cum verba in concione ad populum de re quapiam facturus eſſet, in media oratione objecit ſe in terram: paulòque poſt caput attollens & circumferens, ſubtremulam vocem, gravemque intendit, concitavitque paulatim. Ubi conſpexit horrore, & ſilentio defixum theatrum, abjecto pallio, tunicaque ſciſſâ exiliit ſeminudus, curſumque ad exitum theatri tulit: Matrum furiis vociferans agi. Cùm nemo iniicere manum homini præ religione auderet, extulit ſe porta inſano ſimilis. Aſtus conſcia, ſociaq; conjunx aſſumptis liberis palantem illum præ ſe ferens quærere, nemine impediente oppido exiit: atque ea ratione Syracuſas unà ad M. Marcellum evaſere. *Plut. in Marcell.*

L. Jun. Brutus ſimulata mentis impotentia Tarquiniorum inſidias evitavit. *Livius.*

Ramirus ex monacho quintus Aragoniæ Rex rumorem di- D vulgavit, ſe campanam tam magnam conflaturum, cujus ſonus per totam Hiſpaniam audiretur. Excitos ea fama proceres, à quibus imperitiæ nomine contemnebatur, comprehendit, & interfecit. *Marin. l. 8. rer. Hiſp.*

PROBITATEM.

Demoſthenes in Oratione pro Cteſiphonte, Æſchinem tragicam ſimiam appellat, quòd cùm eſſe nequiſſimus, ſplendidis tamen verbis probum civem ageret. Cæterum *D. Hieron. in Epiſtolis*, oſtendit hoc ſcomma jaci ſolitum vulgò in Chriſtianos, ſed ab impiis, ethniciſque, perinde quaſi vultu, habituque ſanctimoniam præ ſe ferrent, cùm eſſent improbi.

THEREUS Rex Scotorum VIII. primis quidem ſex annis ita regnum geſſit, ut Reutha patruus de eo rectè vaticinatus fuiſſe videretur. Deinde repentè ita in omnia flagitia præceps abiit, ut nobiliſſimo quoque per calumniam ſublato, facinoroſi homines amoto metu, totum regnum brevi latrociniis infeſtum fecerint. Phitarchi itaque, deplorato regni ſtatu publico, cùm in eum animadvertere ſtatuiſſent, ille comperta conjuratione ad Britones confugit, ibique reditu deſperato, in E ſummo contemptu, & ignominia conſenuit, obiitque A. M. 1806. *H. Henninges in Geneal.*

SOMNUM.

ROMANUS ſcurra Cabba, (ſive Calba,) invitavit ad cœnam Mecœnatem. Inde eum, & uxorem ſuam cernens inter ſe annictantes, leni capitis inclinatione dormire ſimulavit. Intereà cum quidam ex ſervis foris arreperet, ad menſam, ac vinum interciperet, ſuſpiciens: Neſcis infelix inquit, ſoli me dormire Mecœnati. *Plut. in Serm. amatorio.*

SINGULTUM.

Apud PLATONEM in Sympoſio Ariſtophanes, ne diceret in convivio, ſingultum finxit.

ÆTATEM.

Juvenalis proverbiali ſchemate dixit in Vetulam, jam ἔξωρον quidem, & ad Veneris luſus prorſus intempeſtivam, ſed quæ verborum nequitiis puellam etiam dum ageret,

—— facies tua computat annos F

hoc eſt, frontis rugæ numerum annorum tuorum præferunt, quanquam libido nondum in te conſenuit.

Martialis quendam, qui affectabat etiamnum videri puer: *In te* (inquit) *reclamat, ſed tua barba: vir es. Eraſm. in Adag.*

DIVITIAS.

THEAGENES, quidam, cum pauper eſſet, affectavit tamen haberi prædives, ac magnificus negociator, unde vulgò dictus eſt καπνός. Ariſtophanis interpres ex Eupolis Comici fabula, cui titulus, δῆμοι. *Eraſ. in Adag.*

SELLO quiſpiam, cùm re eſſet perquam tenui, affectabat videri locuples. Unde qui hoc morbo laborabant, σελλίζειν dicebantur, *teſte Suida*. Quo morbo laborat Theagenes, & Æſchines, ſic ut in proverbium abjerint, Θεαγένους χρήματα, καὶ Αἰσχίνου, *apud Ariſtophanem in Avibus. Eraſ. in Adag.*

AMICITIAM.

JOAB Davidis Regis polemarchus Anaſiam ſimulato amplexu confodit, Similiter Abner ſpecie amici colloquii ſeductum interfecit. 2. *Reg.* 3. & 2. *Reg.* 20.

CHUSA, Davidis conſiliarius, Davide ipſo ſuadente, Hieroſolymis Abſalon filium Regem ſalutavit, eique ſe amicum fore ſimulavit: ut cum prudentiæ nomine magnæ eſſet aucto- G ritatis conſilia Achitophel hominis aſtutiſſimi, qui revera ad Abſalon defecerat, irrita facere poſſet. Id quod effecit. 2. *Reg.* 26.

ABSALON reconciliationem ſimulans Amnon fratrem inter epulas occidit, propter ſtuprum ſorori ſuæ uterinæ Thamar illatum. 2. *Reg.* 13.

Samaritæ videntes ALEXANDRUM Magnum Judæos tractare magnificè, ſe quoque Judæos profiteri cæpere (Sunt enim Samaritæ hoc ingenio: rebus Judæorum afflictis, negant ſe cognatos, & verè: ſunt enim Chuthæi, ex Babilonia tranſlati, abductis à Salmanaſſar decem tribubus) cùm verò affulgere eis fortunam viderint, confeſtim in ſocietatem irruunt; à Joſeph, ejuſque filiis Manaſſe, & Ephræm ſeriem generis ſui deducendo, *Joſephus l. 11. c. ult. Antiq.*

ALCIMUS Pontifex Judæorum ſummus, cùm Bacchide Meſopotamiæ præfecto, per ſpeciem amicitiæ Aſideos fortiſſimos viros, Judæ Machabæi milites circumvenit, & ſexaginta trucidavit, reliquis vix fuga elapſis. 1. *Machab.* 7.

JUDAS Iſchariotes oſculo falſò prodidit filium hominis. H *Mutt. 26. Marc. 14. Luc. 22.*

HERODES Antipatri F. Judæorum Rex, in ſimulanda benevolentia aſtutiſſimus, Hyrcanum ſocerum, è Parthia advocavit quaſi regni conſortem facturus, eundemque poſt interemit. Ariſtobulum Alexandri F. de ſanguine regio, Pontificatu ornatum, ſpecie colludendi in piſcina natantem ſuffocavit. *Joſ. l. 15. Antiq.*

DATAME ab Artaxerxe Perſarum rege deficiente Mithridates Ariobarzanis præfecti Joniæ F. pollicitus Regi ſe cum interfecturum eſſe, copiis à Rege acceptis, tanquam communibus armis oppugnaturus Regem, colloquendi tempus, & locum à Datame petiit. Quod ubi à Datame didicit, compluribus locis ſeparatim gladios obruit, eaque loca diligenter notavit. Ergo cum aliquandiù in colloquio fuiſſent, & diverſi diſceſſiſſent, jamque procul Datames abeſſe, Mithridates eò, ubi telum erat repoſitum revertens, & eruens, Datamen revocavit, inquiens: digredientem ſe animadvertiſſe locum, ad ca-